PRAXIS FRUCTUOSE MEDITANDI

RELIGIOSIS POTISSIMUM TYRONIBUS ACCOM-MODATA.

EX

Diversis collecta Ascetis.

WRATISLAVIÆ,
Typis Acad. Colleg. Societat. JESU. 1728.

PARÆNESIS
Ad Tyrones Societatatis JESU.

HOmines mundo crucifixos, & quibus mundus ipse sit crucifixus, vitæ nostræ ratio nos esse postulat: homines, inquam, novos, qui suis se affectibus exuerint, ut Christum induerent; sibi mortuos, ut justitiæ viverent: qui, ùt Divus Paulus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in svavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis se DEI *ministros exhibeant: & per arma justitiæ à dextris, & à sinistris per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam; per prospera denique, & adversa magnis itineribus ad Cœlestem Patriam & ipsi contendant, & alios etiam quacunquè possunt ope, studióquè compellant, maximam* DEI *gloriam semper intuentes. Hæc est summa, hic scopus Instituti, ad quem assequendum efficax, & necessarium valde medium est Oratio Mentalis, ad quam cum fructu quotidie instituendam, serviet hæc Praxis clara, ac facilis meditandi Religiosis Tyronibus accommodata, qui rectè secundùm finem vocationis suæ scient vivere, si rectè noverint orare.*

CA-

CAPUT PRIMUM.
De natura, ſcopo, & fructu Meditationis.

I.

MEditatio, prout ab Aſcetis ſumitur, eſt religioſa mentis actio, per quam ex diſcuſſione alicujus veritatis fidei per memoriam propoſitæ, intellectus concluſionem practicam ad ſpiritualem animæ fructum accommodatam deducit; Voluntas autem affectus pios, ac ſalutares, nec non efficacia reformandæ vitæ, & morum propoſita, in determinatis circumſtantiis, & occaſionibus executioni mandanda ſtatuit, & decernit; quam Meditationem S. Ignatius exercitium trium potentiarum nominat, eò quòd per illas ſinè motu linguæ, & labiorum, aut externa prolatione verborum meditatio peragatur.

2. Scopus & finis adæquatus medita-

tionis est, scire, velle, & facere, quidquid religiosæ vocationis ratio, & officium ad vitam perfectè traducendam requirit; juxta illud Augustini: Rectè novit vivere, qui rectè novit orare. *Scire* importat illustrationes intellectûs; *velle*, motus, & proposita voluntatis; *facere*, actiones potentiarum externarum, voluntatis imperio subjectarum, ad exequenda proposita ordinatarum. Hujusmodi potentiæ executrices sunt septem: Visus, auditus, odoratus, gustus, tactus; itèm potentia locutiva, & loco motiva. His adnumerari possunt imaginativa potentia, & appetitus sensitivus, tam concupiscibilis, quàm irascibilis, quatenus voluntatis directionem admittunt.

3. In fine adæquato Meditationis tres continentur fructus, qui velut totidem scopi partiales invicem subordinati spectantur, & intenduntur à meditante. Quorum *primus* est debita illustratio intellectûs; *secundus* efficax impulsio, & propositum voluntatis; *tertius* constans propositi executio per externas potentias in praxim redigenda. Ex quibus duorum priorum fructuum assecutio immediatè spectari, curarique debet in actuali meditatione; tertius autem in occurrente rei propositæ circumstantia, & occasione.

Quia,

Quia verò secundus fructus est multò dignior, excellentiórque primô; hinc plùs longè in actuali meditatione insistendum est efficacibus voluntatis impulsibus, affectuúmque exercitio, quàm prolixis intellectûs discursibus, aut profundis conceptibus: nam primus fructus ad secundum, habet se velut medium ad finem.

4. Totus porrò affectuum fructus, consistit in eliciendis solidis, ac efficacibus propositis super practicas fidei veritates bene discussas fundatis, & ad alicujus in particulari virtutis exercitium, aut vitii fugam directis. Quocirca cavendum, nè solis duntaxat infructuosis, atque in vanum elicitis insistas affectibus: si enim absque ullo reformandæ vitæ proposito orationi tuæ finem imponeres, similis illi fores, qui ad lautum invitatus convivium satìs haberet cibos videre, ac in bono dapum ordine, earúmq; splendore sibi complacere, absque eo, quòd quidquam indè degustaret.

5. Hæc bona Proposita nihil sunt aliud, quàm firma animi decreta, & resolutiones practicæ, quibus meditans fertur ad efficaciter amplexandum aliquod in particulari bonum cognitum, aut è contrà malum fugiendum. Quorum bonitati nihil officit, etiamsi in eliciendis illis nulla

ſenſibilis ſvavitas, & devotionis guſtus animum tuum titillaverit; imò etiamſi ſuggeſtionem aliquam, aut tentationem virtuti illi contrariam, ſed involuntariam, & quam continuò repreſſeris, expertus fueris. Vidimus nonnullos, qui cùm per totam orationis horam multiplici mentis evagatione, & voluntatis ariditate fuiſſent infeſtati, demum efficaciſſima ſub finem conceperunt animi propoſita, quæ etiam fideliter ſunt executi, uberiorémque exinde retulerunt fructum, quàm ii, qui totius orationis decurſu, magna animi pace, ac malaciâ fuêre perfruiti.

6. Ut propoſita ſint fructuoſa, has conditiones quatuor habere debent. *Prima* eſt: ut ſint particularia, id eſt ad certas circumſtantias, & occaſiones directa: promittere enim in communi velle ſe humiliare, nihil promittere eſt. *Secunda* eſt: ut tam meditationis ſcopo ſint conformia, quàm meditantis ſtatui convenientia; hinc diſcretè, non autem juxta repertinum impetum cujuſdam affectûs ſenſibilis minùs ordinati debent elici. *Tertia* eſt: ut adjunctam aliquam induſtriam habeant, quæ conſiſtit vel in remotione impedimenti, quod executioni obſtare poſſet, vel in delectu alicujus poſitivi medii, cujus ope executio reddatur facilior.

Quar-

Quarta eſt: ut fiant cum certa quadam li-bertate animi, promptitudine, ac fidu-cia in DEum, quòd, qui dedit gratiam illa ſtatuendi, dabit quoque gratiam ſtatuta explendi.

7. Inter meditationum propoſita, & eorum executiones magna intercedit dif-ferentia: certum namque eſt opera deſi-deriis eſſe multò difficiliora: quia in ope-re ipſum objectum reipsa præſens eſt, in deſiderio autem reipſa eſt abſens; & in imaginatione duntaxat eſt præſens. Un-de etiam uſuvenit, ut ſæpe in meditatio-ne ſimus ferventiſſimi, & quævis nos ob-ſtacula ſuperaturos ſtatuamus, dum inte-rea præſente occaſione ad opus deſcen-dendum eſt, procul nos ab eo, quod pro-poſuimus, abeſſe deprehendimus. Pro-inde non ſatìs eſt hæc in animo deſideria, ac propoſita ſentire; ſed danda inſuper opera, ut illa occurrentibus etiam cir-cumſtantiis, & occaſionibus, evadant ef-ficacia, & executioni mandentur.

8. Ad quod juvabit ſcire meditatio-num propoſita eſſe quaſi ſemina, atque ad hoc, ut ſuo loco, tempore, & occaſioni-bus ſperatum adferant fructum executio-nis, duo requiri. *Primum* eſt: Cæleſtis gratiæ à Deo implorandæ ſubſidium: om-nis enim ſufficientia noſtra ex DEO eſt.

Secundum: virtutis motivæ pro circumſtantia, & occaſione in memoriam recurrentis influxus: eadem enim vis motiva, quæ tempore meditationis inclinavit voluntatem ad efficaciter velle, inclinabit quoque executrices potentias, occurrente executionis occaſione, ad facere; ſi illa per jaculatoriam aliquam aſpirationem ſuo loco, tempore, & circumſtantiâ in mentem reducta fuerit.

9. Ex his collige meditationem non eſſe finem hominis religioſi, ſed medium duntaxat, & inſtrumentum ad ſubjugandas animi paſſiones, extirpandos vitiorum habitus, & debitos virtutum actus juxta Inſtituti rationem exercendos. Gravis proinde error foret, ac illuſio, ſi quis in meditatione, tanquam termino conquieſceret, ejúſque ſolatiis, ac dulcedine paſci vellet, atque juxta horum menſuram ſuæ meditationis fructum, bonitatem, & ſucceſſum metiretur: hoc enim eſſet ſcopum, & ordinem meditationis invertere, & medium pro fine conſtituere.

CAPUT II.

De præparatione ad Meditationem requiſita.

10. DUplex eſt præparatio ad meditationem neceſſaria, una remota, altera

altera proxima. Remota in ſequentibus ferè capitibus conſiſtit. *Primò* : Ex perlectis meditationis punctis eliges dictum, aut factum Chriſti tale, cujus diſcuſſionem ibidem adjunctam probè intelligis, tibíque pro eliciendo exinde fructu ſpirituali magìs accommodatum advertis. *Secundò* : Deduces indè concluſionem practicam ad mores pro neceſſitate præſenti directam, id eſt : doctrinam aliquam ſpiritualem pro ſcopo meditationis tuæ ſtatuendam. *Tertiò* : nonnulla deliges motiva ad eandem doctrinam ulteriùs firmandam idonea, ſi ea videris neceſſaria. *Quartò* : deſignabis præcipuos affectus in quavis meditationis parte excitandos. Quæ omnia ſummatim, & breviter conſtituenda ſunt, ut ſuus de his diſcurrendi campus uberior intellectui pro meditationis hora reſervetur.

II. Aliqui ex ſingulis punctis præſcriptæ meditationis ſingulas eruunt doctrinas, quarum unam poſt alteram, per horam meditationis expendunt, ſibíque applicant. Alii unâ duntaxat doctrinâ contenti, eam per totum horæ decurſum ruminant, & diſcutiunt, eò ferè modô, qui capite ſequenti explicabitur; & hic modus videtur alteri præferendus ; tum quia intellectus plus moræ, & temporis habet ad

doctrinam meliùs expendendam, motivisque firmandam; tum quia voluntas efficaciùs impelli potest ad eam amplectendam, & inquirenda media, quibus ejusmodi doctrina ad praxim sua occasione, & circumstantiis possit redigi.

12. Proxima præparatio consistit *primò*. in consideratione Christi Domini, ut præsentis, cui reverentia cum humili gestu exhiberi debet. *Secundò* in oratione præparatoria, quâ petitur à DEO gratia rectè, id est attentè, devotè, ac fructuosè meditandi; viresque, ac operationes omnes ad majorem DEI gloriam, & orantis animæ salutem, atque perfectionem diriguntur. *Tertiò* in præludiis aliquando duobus, ùt contingit in via purgativa; aliquando in tribus, ùt fit in via illuminativa, & unitiva, ubi de vita, & gestis Christi instituuntur meditationes.

13. Oratio præparatoria esse potest, vel in omnibus meditationibus eadem, præsertim apud incipientes; vel secundùm varias animi dispositiones, jam restringi, jam ampliari; nè si eôdem semper modô fiat, generet fastidium. Orationis præparatoriæ exemplum habes: O DEUS infinitæ Majestatis, ecce ego conspectu tuo indignissimus, ad pedes misericordiæ tuæ, eâ, quâ possum reverentiâ, & demissione ani-

animi proſtratus adoro te, ac veneror. Reſpice, quæſo, in faciem Chriſti tui, meorúmque veniam peccatorum clementer indulge, quæ contrito corde ſuper omnia retracto, ac deteſtor. Suſcipe in odorem ſvavitatis hoc orationis holocauſtum, quod ad majorem gloriam tuam, meæque animæ ſalutem, ac perfectionem inſtituo; atque ideo ex nunc omnibus diſtractionibus, quæ mihi evenire poſſent, renuntio plenè, coram te proteſtans, nullum illis præbere me velle conſenſum. Reple igitur memoriam meam cogitationibus ſanctis, intellectum cœleſti lumine illuſtra, & voluntatem meam amoris tui igne inflamma: ut hinc recedam totus in alium mutatus, atque omnino ad tibi ampliùs, quàm hactenus fecerim, ſerviendum reſolutus. Hæc omnia non ſolùm pro me, ſed etiam pro omnibus mecum oraturis ſimpliciter peto, per merita JESU Chriſti, Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum.

14. In meditationibus de vita Chriſti in præludio *primo* res meditanda per hiſtoricam rei geſtæ repræſentationem; in *ſecundo* per imaginariam loci compoſitionem, quodammodo ante oculos ponitur: ut animus tantò faciliùs in ejus conſideratione à diſtractionibus immunis conſer-

vari poſſit. Quòd ſi res meditanda fuerit incorporea, tunc alterius rei cujuſpiam, quæ præſenti materiæ conveniat, ſerviátque, imaginatio ſubſtituenda eſt; in qua tamen formanda, vis capiti inferenda non eſt, neque moræ trahendæ. In præludio *tertio* petitur à Deo gratia præſens myſterium, ùt par eſt, expendendi, pióſque ac ſanctos affectus excitandi; quæ omnia ultra ſpatium unius, vel alterius miſerere extendi non debent.

15. His rite peractis ad ipſam delecti ad meditandum puncti diſcuſſionem tranſibis, in cujus principio te monitum volo, ut applicatio intellectûs ſit moderata, id eſt: nec nimiùm intenta, neque nimiùm remiſſa, nec nimiùm præcipitata, neque nimiùm lenta. Verùm oportet, ut ſit ſedata, non tamen ſinè vigore; tranquilla, non tamen ſinè vivacitate. Ex non debita hujus doctrinæ obſervatione multi parùm proficiunt ex oratione: nonnulli enim ſtatim à principio illius materiam ſibi propoſitam, tanta cum capitis, pectoríſque contentione, ac impetu conſiderare incipiunt, ut defatigatâ naturâ, atque viribus exhauſtis deſiſtere cogantur. Alii è contrà vel totam orationis horam magno cum animi langvore peragunt; vel in principio non nihil laborant, móxque laſ-

ſati

ſati in quaſvis obvias feruntur cogitationes, quas illis phantaſia ſuggerit, nullam inferendo vim continendæ in ſuo officio imaginationi, aut intellectui.

16. Nonnulli curioſos ſectantur conceptus,& ſublimes affectant diſcurſus,qui aliud non agunt, quàm quod ingenii ſui curioſitati ſatisfaciant, séque à ſpiritu DEI, qui ſimplex eſt, procul elongent; nec quidquam in vitæ ſuæ emendatione proficiant. Certum proinde habe, eò te DEO gratiorem futurum, quò ſimpliciùs cum eo converſatus fueris: nam *cum ſimplicibus ſermocinatio ejus Prov.* 3. Hinc conſiderationes intellectûs debent eſſe *primò* communes, ac familiares: non verò affectatæ, & ſublimes. *Secundò*: ſimplices & devotæ, non verò ſubtiles & curioſæ. *Tertiò*: convenientes, hoc eſt: non tantùm ſcopo meditationis congruentes; ſed etiam ſtatui meditantis conformes.

17. Quia verò juxta doctrinam numero *tertio* datam potiſſimus meditationis fructus, quem illa immediatè intendit, voluntatem potiùs reſpicit, quàm intellectum: ideò plus tribue temporis ferventium affectuum exercitio, quàm diſcurſibus: affectus enim voluntatis plus apud DEUM meriti, apud animum verò tuum plus utilitatis, & neceſſitatis habent,

quàm actus quantumcumque sublimes intellectûs. Non est inquirendum, ait Gerson, in quo consistat virtus, præcisè ut sciamus, verùm ut amemus illam, & in praxim redigamus, atque ità virtuosi reipsa evadamus. Discursus itáque dirigendi sunt ad affectus, affectus autem ad operationes, in quibus juxta dicta numero *secundo* adæquatus consistit fructus, & finis meditationis.

CAPUT III.

De modo procedendi in discussione Punctorum.

18. INter varios assumptam fidei veritatem discutiendi modos; is non immeritò cæteris sicut facilior, ità quoque utilior videtur, præsertim incipientibus, qui per septem quæstiones sequentes instituitur. *Primò* quære ex te ipso: quod est assumptum punctum meditationis tuæ præsentis? *Secundò*: quid de hoc puncto est considerandum? *Tertiò*: quid doctrinæ pro spirituali fructu indè concludendum? *Quartò* quænam ulteriùs impellant motiva ad amplectendam ejusmodi doctrinam? *Quintò*: An, & quantum ejusmodi doctri-

næ obſervans fueris? *Sextò*: quid in futurum ſit particulariter proponendum? *Septimò*: quid induſtriæ ad efficacem propoſiti executionem ſit adhibendum?

19. Hic diſcutiendi modus paulò fuſiùs eſt exponendus, practicóque exemplô declarandus: longa quippe via eſt per præcepta, brevis per exempla. Sit itáque pro exemplari meditationis idæa, & fundamento hæc fidei veritas: *Vocatum eſt nomen ejus JESUS. Luc.* 2. Quam pro die quarta Januarii in tria digeſtam puncta habes in uſu Avanciniano, cum totidem diverſis doctrinis moralibus indè deductis; ex quibus tu ſecundum pro nunc punctum elige, ex cujus diſcuſſione, ac doctrina ibidem reperta hunc meditationi tuæ ſcopum præfice: Socii JEſu titulo, & nomini, mortificationem corporis ſociabo.

20. Præmiſſa oratione præparatoria, cujus paradigma habes numero 13. pro præludio primo, & ſecundo repræſenta tibi circumciſionem Chriſti cum impoſitione nominis JEſu in ſtabulo Bethlemitico peractam. In tertio gratiam implora præſens myſterium dignè cognoſcendi, fructúmque indè ſpiritualem conſequendi hoc vel ſimili modo. O diviniſſime infans, qui glorioſum JEſu nomen in cruenta tui corporis circumciſione ſuſcepiſti;

notum

notum fac mihi obſecro, quod ex hoc admirabili myſterio in tui ſequelam, ac imitationem à me faciendum requiris? ídque per gratiam tuam da non ſolùm ſcire, ſed etiam velle, & perficere.

21. Quære jam *primò* ex te: quod eſt aſſumptum punctum meditationis tuæ præſentis? & ſtatim per exercitium memoriæ hanc fidei veritatem: *Vocatum eſt nomen ejus JESUS Luc.* 2. cum acceſſoriis rei geſtæ adjunctis tibi revoca. Affectúmque fidei hoc vel ſimili modo elice: O vili mortalitatis noſtræ indumento velate DEus! adoro ſupremam tuam in infantili licèt corpuſculo Majeſtatem, credóque firmiter, ac confiteor, te poſt conſummatos à nativitate dies octo ſalutiferum nomen JESU, in quo nos peccatores ſalvos fieri oportet, ſuſcepiſſe. Ità me ſacra tua docent oracula, quibus firma fide adhæreo, tuæ authoritati hæc revelanti mentem plenè ſubjicio; nec enim infinita tua Bonitas me fallere poteſt, ſicut infinita tua Sapientia falli non poteſt. Fac, ô dulciſſime JESU, ut nunquam ob peccata mea, aut verbis tuis fidei bona voluntas, aut bonæ voluntati fructus bonorum operum in me deſint.

22. Quære Secundò ex te: quid de hac veritate ſit tibi expendendum? & mox per

exer-

exercitium memoriæ reflecte te ad ea, quæ circa hanc veritatem expensa, discussáque habes in usu Avanciniano, quæ tu quoque per exercitium intellectûs discute, ac rumina, convenientémque discussioni affectum subjunge, unum vel plures, hoc, aut simili modo: Expende anima mea, & vide, quando salutiferum hoc nomen JESU, Divino infanti fuit inditum, nunquid tunc, dum tenellum corpus lapideo circumcisionis cultro subjecit? tunc, dum accepti vulneris acerbitatem, cum intimo doloris sensu perpessus est? tunc, dum immaculatam carnem usque ad profusionem sangvinis incîdi sustinuit? infantes alii cultrum non priùs sentiunt, quàm cuti admoveatur, eámque penetret; Christus verò jam tum in materno utero, ubi perfectissimum rationis usum habuit, doloris acerbitatem, & saxei cultri scissuram novit, præsensítque; neque tamen tenellam carnem vulneri subtraxit, sed infracto illud, & lætô animô excepit. Similem quidem aliis infantibus emisit vocem plorans; at cum gaudio sangvinem matutini Sacrificii mundo effudit, paratus omnem in vespertino crucis Sacrificio pro nobis impendere. Tunc igitur, dum hæc gesta sunt, ei nomen JESU, quod est super omne nomen est impositum. O saluti-

lutifero JESU nomine insignite pusio, exosculor humillimè sanctos illos panniculos, quos defluus tuus sangvis irrigavit, apprimo illos tenerrimè cordi meo, precórque suppliciter, ut cruenta tua linteola mihi animos, & robur addant, ad circumcidendas carnis meæ concupiscentias, quæ regnant in membris meis.

23. Quære *Tertiò* ex te: quid doctrinæ, seu fructûs spiritualis indè tibi concludendum? & confestim insinuatam in usu Avanciniano doctrinam, per illationem tibi applica, eíque congruum subde affectum, unum vel plures, juxta illatæ doctrinæ exigentiam, hoc, aut simili modo: Quid ad hæc tu JESU Socie? si ab incarnato DEI Filio, non obtinetur JESU nomen, & titulus, sinè cruenta impollutæ carnis suæ concisione; num tu vilissime homuncio Socii JESU nomen, & titulum gerere præsumes sinè austera corporis tui afflictatione? poterat ille, cùm DEUS esset, omnia corpori suo commoda citra periculum indulgere; non egebat hôc mediô ad corrigendam naturam, quæ nec vitiata erat, nec vitiari poterat; non ad subjiciendum corpus rationi, quod Divinitas moderabatur, ità ut non posset rebellare; & tamen nominis JESU Successioni, ac titulo, tam doloriferam suæ carnis sociavit circum-

cumcisionem. Quantò igitur tibi ampliùs JESU Socie ad dignè ferendum vocationis tuæ nomen, & titulum, inordinati carnis appetitus coërcendi sunt: vitiata quippe tibi est natura, & in malum proclivis, caro rebellat spiritui, & in peccata inducit; corpus ergo per spiritualem mortificationis petram circumcidendum est, ut debitam tanti nominis mensuram adimpleas. Ecce paratum corpus meum Domine, paratum est; circumcide, obsecro, omnia membra, & sēsus meos, spirituali petra, quæ tu ipse es, & quidquid in me repereris carnale, & superfluum, rescinde, ac extirpa, carnémque meam disciplinæ tuæ rigore coërce.

24. Quære *Quartò* ex te: quænam ulteriùs impellant motiva ad amplectendam ejusmodi doctrinam? & illico reduc in memoriam ea motiva, quæ præparationis tempore è communibus Sacræ Rhetoricæ locis, seu motivorum fontibus Cap. 6. exponendis delegisti, iisque per ratiocinationem, ac discursum tibi applicatis vim adde, & efficaciam hoc, vel simili modo: *A necessitate.* Scito anima mea sublime vocationis tuæ institutum carnis delicias, & commoda corporis non admittere: qui enim Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis

ad

ad Gal. 5. Vel igitur Socii JESU nomini, ac instituto renuntiandum, vel corpus jugi mortificatione castigandum. Hinc Sanctissimus Fundator exigit in 12. Summarii lege, ut majus, ac impensius studium cujusque sit quærere in Domino majorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad fieri potest, mortificationem. *Ab æquitate.* Necessitati accedit æquitas: quid enim æquius, quàm ut ancilla dominari non sinatur? quid æquius, quàm ut equo frænum semper applicetur? quid æquius, quàm ut hostis æternæ vitæ insidians, assiduò atteratur? quid æquius, quàm ut is, qui toties DEI filium occidit, ad mortem saltèm spiritualem condemnetur, & cum concupiscentiis suis crucifigatur? *Ab utilitate.* Dic anima mea: nunquid cauterium unius membri lubens admittis, ut plura salves? cur non ergo mortificationem corporis jugiter usurpes, ut ab interitu te ipsam serves? infensiorem quippe hostem illo non habes, cujus vires quantò ampliùs maceratione attriveris, tantò majorem tibi securitatem comparabis. *A dignitate.* Quid excellentius digniúsque est martyrio? hujus titulo, ac honore gaudet mortificatio teste Sancto Bernardo, qui Sermone tertio in Cantica ait: Genus quoddam martyrii

tyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitiùs, sed diuturnitate molestiùs. *A facilitate.* S. Franciscus Borgias omnia corporis incommoda sibi levia fecit, binos legatos, cognitionem nempe sui, & inferni præmittendo; quantò magìs eadem tibi jucunda accident, si amorem DEI, crucem Christi, augmentum meriti, & cælestis præmii magnitudinem respexeris.

25. Quære *Quintò* ex te: an & quantũ hactenus talis doctrinæ observans fueris? & mox super teipsum institues reflexionem, quid à te sit præstitum, aut omissum? si quod debebas fecisti, excitandi sunt ad DEum affectus laudis, glorificationis, gratiarum actionis, petitionis gratiæ &c. Si verò te defecisse adverteris, eliciendi sunt affectus accusationis, doloris, desiderii emendationis &c. Horum in materia proposita sequitur exemplum. Tam validis rationum momentis, cùm suffragari, voluntatémque inflectere debeas anima mea, vide jam, sensúsque corporis tui sinè fuco scrutare: num hactenus oculos à rerum vanarum intuitu, manus ab objectorum delectabilium attactu custodieris? num intemperantem linguæ licentiam à colloquiis superfluis, contra-

di-

dictionibus crebris, & punctoriis verborum aculeis continueris? num inordinato gulæ appetitui, extra mensæ tempora cibo, & potu furtivo indulseris? num matutinum surgendi torporem alacri excussione somni viceris? num calceos malè pedibus accommodos, obsoletósque aut vestem attritam, minúsque corpori aptatam directè vel indirectè acceptare renueris? num aut sævientis brumæ rigorem, aut caloris æstivi intemperiem, aut membri alicujus dolorem, æquô animô, aut è contrà, impatienter sustinueris?

26. Peracto examine, agnitísque erratis congrui sequuntur affectus. *Primò Accusationis*: Et ecce ô cæcitas, & amentia mea! Socii JEsu nomen porto, & à mortificatione carnis, & sensuum tam procul disto; corpus meum tam molliter tracto, neque ut servum rebellem servituti subjicio; carnem spiritui parêre, tanquam ancillam servire Dominæ non cogo: hinc si inclementior sit aura, indignor; si mensa frugalior, aut cibus insulsior, murmuro; si exiguâ doloris molestiâ afficiar, gemo, & lamentor; si modica fame, aut siti urgear, mox ingluviem explere conor; si levi tangar injuria, illico linguam in aculeos, morsus, & contumelias effundo. *Secundò doloris*: O circumcise JEsu,

ſu, quàm remotus, ac diſſitus ſum à te! quàm inviſa, duráque accidit circumciſionis tuæ æmulatio! nomen Socii JEſu ferre placuit, & ſpiritu facta carnis mortificare diſplicuit; ah pœnitet me, quòd ab imitatione tua receſſerim, quòd carnem meam cum concupiſcentiis non crucifixerim, quòd aſſumpti nominis menſuram non adimpleverim. Deteſtor igitur cæcitatem meam, averſor impudentiam meam, quòd tam ſerò nimis tandem ſapere didicerim. *Tertio deſiderii mortificationis:* O dulciſſime JESU, cujus ſocium me profiteor tibi quoque deinceps vitâ, & moribus conſentire deſidero, tibi cohibitione ſenſuum reddi ſimilis exopto, tibi denique corpus meum hoſtiam placentem, viventem, ſanctam exhibere cupio: ſonet igitur hæc vox deſiderii in auribus tuis, ut, ſecundùm quod deſidero, fiat mihi.

27. Quære *ſextò* ex te: quid tibi in futurum ſit particulariter proponendum? & ſtatim convenientes diſpice praxes, circumſtantias, & occaſiones, in quibus ejuſmodi doctrina cum magno fructu executioni dari poſſit. Quibus tibi objiciendis diu immorandum non eſt, nè animus ad alia abſtrahatur. Demum elicies firmum animi propoſitum ad talem in particulari determinatam circumſtantiam, &

occa-

occasionem directum, in qua maximè opus habes tali virtutis exercitio. En habes in assumpta materia hujus rei exemplum. Ratum igitur, fixúmque statuo ô mi Salvator, quòd deinceps Socii JESU titulo, ac nomini mortificationem corporis sociabo; & quia nisi sensualitatis meæ ulcus mortificationis ferro ad vivum tangam, efficax remedium curando malo non afferam, hinc cum tua gratia firmiter decerno: quòd clàm, aut furtivè nunquam deinceps in edendo, aut bibendo gulæ serviam; nec ullis unquam esculentis, aut poculentis extra triclinii locum, & statuta per ordinationes Superiorum tempora famem, ac sitim, licèt urgentem, ac permolestam levabo.

28. Quære *septimò* ex te: quid industriæ ad efficacem propositi executionem sit adhibendum? hæc industria consistit, vel in remotione impedimenti, quod executioni illius obstare posset; vel in delectu positivi medii, quod ad ejusdem faciliorem praxim servire posset. Ex his itáq; delige unum, quod efficacius esse cognoveris, hoc vel simili modo: Nè verò efficax hoc voluntatis meæ decretum urgente fame, ac siti ab executione deficiat, pro medio, ac industria tuos ô mi JEsu exantlatos in fame, ac siti cruciatus piè recolam,

lam, iísque hanc mortificatæ gulæ molestiam tanquam infinito thesauro obolum adjungam, & sic etiam tibi offeram: O JEsu mi, hanc ego famis, sitísque molestiam, velut exilem doloris guttulam, in tuæ passionis mare immergo, placeat tibi propter te, dum tui gratiâ sic vinco me.

29. His rite præmissis succedit pro clausula meditationis Colloquium cum DEO, aut Christo, vel Beatissima Virgine, aut Sanctis DEI; in quo non solùm pro acceptis in oratione beneficiis redduntur DEO gratiæ, sed etiam Cælestis imploratur gratia ad ea opere complenda, quæ intellectus agenda cognovit, & voluntas exequenda proposuit. Quò autem pluribus, ardentioribúsque colloquium abundat affectibus, tantò melius est, ut in subjecto videbis exemplo: O Bonitas infinita DEus meus, summas tibi reddo, quas possum, gratias, quòd orationem meam clementer audire, intellectum luce veritatis tuæ illuminare, voluntatem salutari mortificandæ carnis desiderio inflammare, & ad æmulanda circumcisi JESU vestigia efficaciter impellere dignatus sis. Pro quibus immerenti mihi collatis à te beneficiis, cùm laudare bonitatem tuam dignè nequeam, magnificet te mei locô anima Beatissimæ Virginis Mariæ, lau-

dent ardentissimo affectu Seraphini, benedicant omnia opera tua, à quibus lauderis, & extollaris in sæcula. Quia verò memor insufficientiæ meæ, ac fragilitatis humanæ conscius sæpe sæpius experientiâ didici, quàm procul distet ab executione propositum, & ab opere desiderium; ideo clementiam tuam oro, & obtestor, efficacem immerenti licèt præbe gratiam, ut, quæ in hac meditatione te inspirante cognovi, & statui, etiam reipsa fideliter, & integre te adjuvante præstare valeam.

30. Peracta meditatione instituitur super illam reflexio. *Primò*: An in DEI præsentia constitutus orationem & præludia præmiseris? *Secundò*: an in discutienda veritate fidei modum, & ordinem rite tenueris? *Tertiò*: an seria & constanti potentiarum applicatione per totum meditationis decursum usus fueris? *Quartò*: an plus temporis discursibus intellectûs, quàm piis motibus voluntatis tribueris? *Quintò*: an & quantùm occurrentibus mentis evagationibus obstiteris? & quænam earum causæ fuerint? si bene successerunt omnia, DEO redde gratias; sin aliquam admisisti negligentiam, dole cum emendationis proposito. Reflexioni succedit fructuum annotatio,

hoc

hoc pacto: *Primò:* Scripturæ textus ad meditandum assumptus ponitur. *Secundò:* Scopus Meditationis adscribitur. *Tertiò:* Motiva adduntur, ex quibus illud primô locô adjicitur, quod per discursum ex veritate fidei expensa deductum est, huic cætera subnectuntur. *Quartò:* Præcipui affectus breviter specificantur. *Quintò:* Particulare propositum declaratur. *Sextò:* Industria executioni subserviens ad finem collocatur. Hæc patebunt in Exemplo clariùs.

31. Fructus assumptæ meditationis. Vocatum est nomen ejus JESU. Luc. 2. *Scopus* Socii JEsu titulo, ac nomini mortificationem corporis sociabo. *Motivum* 1. Nomen JESU ipsi Christo circumcisione carnis constitit, quâ tamen ille nec eguit, nec egere potuit, quantò magìs ego Socii JESU titulo, ac nomini mortificationem corporis sociare debeo, qui proclivem in malum naturam habeo. *Motivum* 2. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis. ad Galat. 5. Ergo Christi Socius esse nequeo, nisì mortificationem JESU in corpore circumferam. *Motivum* 3. Sicut ancillam famulari, equum frænari, hostem atteri est æquum; ità quoque mortificationi carnem subdi justum est. *Motivum* 4. Cau-

terium unius membri admittitur, ut plura ſalventur: cur non caſtigetur corpus, ut anima ſalvetur? *Motivum* 5. & *6tum* brevitatis gratiâ hìc non adjicitur. *Affectus præcipui:* fidei, petitionis, exhortationis mei, oblationis, confuſionis, doloris, deſiderii &c. *Propoſitum* ſtatui igitur nunquam deinceps velle clàm in edendo, aut bibendo gulæ ſervire; nec unquam extra triclinii locum, ac ſtatuta per ordinationes ſuperiorum tempora, famem, ſitímque, licèt urgentem, ac moleſtam levabo. *Induſtria:* fame ac ſiti urgente, Chriſti famem, ac ſitim piè recolam, ejúsque patientiæ meam uniam.

CAPUT VI.

De Affectuum in Meditatione exercitio.

32. QUandoquidem præcipuus meditationis fructus, quem illa immediatè reſpicit, in piis animi motibus, & inflammatis affectibus conſiſtit; idcirco nonnulla ſcitu neceſſaria pro faciliori eorundem praxi, & exercitio declaranda per varias cenſui quæſtiones. Quia verò in uſu Avanciniano tria affectuum alphabeta verè aurea, juxta tres perfectionis vias digeſta,

digeſta, cum practicis eorundem exemplis fructuoſiſſimè illuſtrata ad manum habes, hinc eorum familiarem uſum valde ſvadeo: nè autem ego quoque meis deſim partibus, practica nonnullorum affectuum exempla ſequenti capite proponam.

33. Quæres *Primò:* Quid ſit affectus? ℟. Affectus, de quo hìc loquimur, eſt certa quædam commotio cordis, ſive ſanctus quidam ardor in anima excitatus, aut ex ſolo motu, & ſecreta impreſſione gratiæ Spiritûs Sancti, aut ex præmiſſis conſiderationibus intellectûs. Duplex porrò eſt genus affectuum nempe proſecutionis, quibus bonum honeſtum appetimus; & fugæ, quibus malum inhoneſtum averſamur: in quorum excitatione obſervandum eſt, ut non ſiſtat animus in otioſo præcisè quodam guſtu, & infructoſa duntaxat expenſarum veritatum affectione; verùm progredi ulteriùs debet ad ſolida, & efficacia virtutum exercendarum propoſita, in quibus totus bonorum affectuum conſiſtit fructus, utì ſuperiùs num. 4. uberiùs expoſitum eſt.

34. Quæres *Secundò:* Quomodo producantur? ℟. duobus modis. *Primus* eſt communis, & ordinarius, atque ex parte dependens ab humana induſtria, quò

 me-

meditans anima poſtquam fidei veritatem bene expendit, ac ruminavit; movetur ex ea ad virtutis cujuspiam deſiderium, amorem, ejúsque exercendæ propoſitum: quod adeò ſvavi, ac connaturali ſit modo, ut absque ulteriori ad induſtrias, & praxes affectuum reflexione, quàm primùm anima bonum, aut malum perceperit, ſtatim ex ſeipſa illud amplectatur, hoc verò averſetur: ſicuti res pulchras, ac deformes ſufficit præcisè videre, ut illæ placeant, hæ verò diſpliceant. *Alter modus* eſt peculiaris, qui fit per extraordinariam infuſionem cujusdam luminis immediatè à DEO procedentis, unicô momentô intellectum hominis adeò illuſtrantis, ut rem clariùs multò perſpiciat, quàm ſi tres, aut quatuor horas continuas in meditatione inſumpſiſſet; velut radius quidam ſolaris in conclave aliquod incidens, plùs illuminat, quàm ſi plures illic candelæ forent accenſæ. Multi hoc genus internæ commotionis experiuntur, etiam priusquam ſciant, quid ſit oratio; utì accidit non raró quibusdam adoleſcentibus ſæcularibus, quibus DEus inſpirat mundo valedicendi propoſitũ, illis quippe interdũ, quaſi in ictu oculi omnia mundi pericula, ac miſerias objicit, ſimúlque ſvavem, ac fortem deſerendi ſæculum imprimit eorũ animis inclinationem.

35. Quæ-

35. Quæres *Tertiò*. Quid sit affectus purè Spiritualis? quid Spiritualis simul, & sensibilis? & quomodo nascantur? ℞. affectum purè spiritualem esse, quem non nisì sola degustat voluntas, neque in partem inferiorem hominis, id est in appetitum sensitivum transfunditur. Affectus sensibilis, simul ac spiritualis est ille, per quem non solùm pars superior hominis, sed & inferior, hoc est tam voluntas, quàm appetitus sensitivus commoventur; quod duobus contingit modis: primus est: quando objectum meditationis est imaginarium, & sensibile, tunc enim appetitus sensitivus, qui in parte inferiori correspondet imaginationi (sicut voluntas in superiori parte respondet intellectui) primò commovetur, hácque commotione non parùm juvat ad affectus voluntatis excitandos. Alter modus est: quando argumentum meditationis est purè spirituale, ità ut valde parùm operetur imaginatio, tunc enim voluntas primò sentit illas sanctas commotiones, quæ tamen nonnunquam adeò magnæ sunt, ut anima, quæ in superiori parte illis abundat, per redundantiam in inferiorem partem aliquid indè transfundat. Aliquando ob indispositionem, vel repugnantiam inferioris partis, ejusmodi commotiones sola in parte superiori

periori se continent; neque appetitum sensitivum hominis commovent.

36. Quæres *Quartò*: Undenam meritum, & perfectio affectuum desumatur? ℞. Pro certo tenendum est, quòd meritum, & perfectio affectuum non ex aliqua svavitatis experientia, & dulcedine sensibili, sed ex voluntatis bonæ efficacia desumatur, inqua consistit tota vis, ac ratio virtutis, meriti, ac sanctitatis. Adeoque possunt cum desolatione, & repugnantia, partis inferioris perfectissimi affectus voluntatis elici: sic Christus Redemptor noster in horto usque ad sudorem sangvineum desolatus hoc affectu resignationis: non mea, sed tua voluntas fiat, æterno Patri summè placuit. Et tu ejus membrum placebis, si absque ulla dulcedine, & gustu eundem affectum, aliósque solidarum virtutum elicias. Si autem svavitate sensibili subtracta nescis, aut grave tibi videtur, in oratione perseverare, certum habe, quòd non purè DEum quæras, & ames. Affectuum proinde svavitas, ac dulcedo, cùm non sit meditationis fructus, ac finis, non est inordinatè quærenda, in qua sæpe tyrones errant, amori suo proprio etiam in spiritualibus nimis intenti.

37. Quæres *Quinto*: Unde proveniat, quòd

quod ordinariè unus præ altero faciliùs moveatur in affectus? ℞. Id fieri *Primò* ex teneritudine indolis, & naturæ facilioris mollitie ad recipiendas quorumlibet objectorum impressiones: qui hujusmodi sunt generis, & complexionis, meditationem interrumpere debent, ubi notabiliter se commoveri sentiunt: res enim infructuosa foret, omissis iis, quæ magìs necessaria sunt, totum orationis tempus impendere lachrymis, svavioribúsque animi affectibus, qui in talibus hominibus sunt ordinariè nonnisi effectus naturæ. *Secundò*. Provenire id potest ex eo, quòd quis jam plurimam rerum divinarum notitiam per antecedentes meditationes habeat, atque adeò statim in meditationis principio dimidium facti obtineat, hoc est intellectum sentiat circa propositam materiam, quàm illuminatissimum, atque instructissimum. Tales indulgere potissimùm debent affectibus, qui si in vehementes nimis exuberarent ardores, instar ignis cor adurentis, moderandi erunt, sive activitatem animi temperando; sive etiam, si aliter ignis ille temperari nequiret, argumentum meditationis commutando.

38. Quæres *Sexto*: Estne necessarium, ut in iis, quos producimus, affectibus semper DEO loquamur in secunda persona? ℞.

 Nequa-

Nequaquam, ſed per Apoſtrophen jam alloqui poſſum, Beatiſſimam Virginem, Angelum cuſtodem, vel aliquem ex Sanctis; jam creaturas alias, potiſſimùm verò nosmetipſos arguendo, confundendo, excitando, impellendo &c. expedit nonnunquam, ut absque eo, quòd vel DEO, vel nobis ipſis, aut rebus aliis loquamur, excitato affectui, quo efficaciter commoveri nos advertimus, in ſecreto quaſi cordis ſilentio ulteriùs inſiſtamus, eíque locum demus, donec in eo ſuam animi ſatisfactionem habeat. Sic etiam expedit ſubindè, tunc ſcilicet, quando aliquis ob nimiam intellectûs ſui fœcunditatem, primò ſtatim intuitu totam aſſumptæ veritatis fidei materiam intimè perſpicit, ut ſimplicem mentis ſuæ oculum, ſeu intuitum, absque ulteriori diſcurſu in eam defigat, affectúmque, quo ſe commoveri ſenſerit, foveat.

39. Quæres *Septimò*: Quomodo fovendi ſint affectus ubi notabiliter illi remiſſiores facti fuerint? ℞. Eos rurſus excitandos eſſe inſtar illius, qui ligna igni ſuperaddit, ipſúmque ſufflat, nè reſtingvatur: ità & nos ignem affectuum ſufflare debemus, per ſuperaddita motiva, eorúmque expenſiones, juxta doctrinam ſequenti capite, & fontibus motivorum,

&

& affectuum tradendam, quòd si quandoque voluntas emotam se senserit, nescio quo amore DEI molli atque otioso, qui nihil agere, aut pro eo pati velit, tunc urgentioribus illa motivis impellenda est, ad aliquid pro gloria DEI aggrediendum; v. g. ad reprimendam aliquam, quæ cæteris prædominatur, inordinatam passionem, aut exercendum virtutis cujuspiam actum, naturæ quamvìs valdè contrarium; cùm in hujusmodi solidis, & efficacibus animi propositis totius consistat fructus affectuum, ùt superiùs abundè declaratum est.

40. Quæres *Octavò:* Quid faciendum, ubi voluntas ex meditatione nullo modo commovetur in affectus? ℞. Nequaquam impatiente animo id ferendum, sed humiliter, & cum resignatione tolerandum; hoc ipsum enim est, in quo potissima pars consistit præsentis nostri profectûs, quem vult DEus, ut referamus ex meditatione. Et sanè profectus iste nequaquam exiguus censeri debet, nam humilis illa resignatio quàm maximè placet Divinæ bonitati, quòd sanctissimo ejus beneplacito tam promptè, fideliter, & constanter pareamus. Quòd si nec istos resignationis actus elicere valeamus, saltèm eorum desideria concipere debemus; si tandem

neque hujusmodi desideria concipere possemus, rogandus erit DEus, ut ipse seipsum laudet in nobis eo modo, quo ipse desiderat. Cogi igitur in tali statu voluntas ad affectus non debet, utpote potentia libera, quæ cum violentia impelli nec potest, nec debet.

41. Quæres *Nonò*: Quid agendum est, ubi eum, quem sperabamus successum, atque in meditatione satisfactionem non experimur? ℞. Sequentes praxes cum fructu usurpari posse. Prima est: ut simili in casu non afficiamur rebus, quas meditati sumus juxta infirmam earum notitiam, quam nos de iis habemus, sed juxta quod illas cognoscit DEus, hac vel simili ratione dicendo: desidero Domine talem, vel talem actum virtutis exercere pro gloria tua, non quidem affectu exiguæ meæ, quam habeo, notitiæ, sed cum desiderio te, quantùm quidem tu ipse mereri nôsti, glorificandi.

42. Altera praxis est, offerre Divinæ Majestati sensus nostros imperfectos, in unione eorum, quos Dominus noster JEsus Christus super eadem materia habuit perfectissimos: quin imò distractiones quoque nostras involuntarias, in recognitionem divinissimæ illius attentionis, quam ipse semper habuit suis in orationi-

bus;

bus; tentationes noſtras importunas, in honorem infinitæ ſanctitatis ipſius; inquietudines noſtras, in honorem perpetuæ illius, & invariatæ tranquillitatis; imperfectiones noſtras, quæ quidem involuntariæ nobis ſunt, hac ratione referendo in gloriam contrariarum virtutum, quæ ſunt in ſanctiſſima illius Humanitate. Hæc enim glorificandi DEUM methodus ipſi, quàm acceptiſſima, nobis verò quàm utiliſſima evadet.

CAPUT V.

Exempla & praxes diverſorum affectuum proponuntur.

43. VArii affectus paupertatis, ex conſideratione Chriſti nati. 1. Ah parve puer, magne DEUS! poteſtne quis naſci pauperior, quàm tu ſis natus? poteſtne quis vivere pauperior, quàm tu vixeris? poteſtne quis mori pauperior, quàm tu ſis mortuus? tu dives eras, & omnium egenus factus es! ego pauper ſum, & abundare appeto: quis non judicet iniquum eſſe, ut mancipium commodiùs vivat, quàm Dominus. 2. O pauperrime JEſu! quàm difformis extitit exemplo tuo hactenus paupertas mea! ſtatum

quidem te misericorditer vocante mutavi, sed mutato statu cupiditatem habendi non exui, sed eam in Religionem invexi, ubi vilia appetens me vilem effeci. Quid refert, quòd non sim cupidus nummorum, si interim inordinatè cupidus existam librorum, munusculorum, esculentorum &c. 3. O si inæstimabile paupertatis pretium deinceps meliùs agnoscerem, eámque velut Matrem juxta institutum meum diligerem! cupio tibi posthac egentissime JEsu! consimilis affectu simul, & effectu reddi. 4. Statuo igitur in futurum rejectis omnibus superfluis sola duntaxat necessaria admittere, & ex his, quæ viliora in domo fuerint, gaudenter eligere. 5. Fac ô mi JEsu, ut, sicut hæc cum gratia tua dedisti velle, ità quoque des mihi exequi, & perficere.

44. Varii affectus mortificationis ex consideratione circumcisionis Christi. 1. Laudo te Redemptor mundi pro prima sangvinis tui in tenerrima ætate profusione, cùm tua caro immaculata, pœnam circumcisionis, quam non meruit, ultro sustinuit. O lapsus Adæ, quàm es amarus JEsu meo! ego peccavi, & tu Domine pœnam exolvis; ego in concupiscentia conceptus, & natus sum, & tu in te suscipis ultionem! 3. Nunquid poteras ô spon-

ô ſponſe ſangvinis, cùm DEus eſſes, citra periculum omnia corpori commoda indulgere? non egebas hoc medio ad ſubjiciendum rationi corpus, quod Divinitas moderabatur; & tamen cruentum circumciſionis vulnus admiſiſti. 4. Quid ad hæc nos anime? num, quâ innocuum caput præceſſit, pes nefarius ſubſequi detrectabit? ſcis, quòd vitiata ſit tibi natura, & in malum proclivis; ſcis, quòd rationi rebellet corpus, & in peccata inducat, & adhuc illud fovere audebis? 5. Exeſte igitur ex nunc ſemper vaniſſimæ carnis deliciæ: nolo, nolo ampliùs illicitis ſenſuum oblectamentis ſervire; volo poſthac firmiter rebelle hoc corpus jugi mortificationis cultro ſubjicere, ejúsque indomitos ſenſus, cum vitiis & concupiſcentiis crucifigere. 6. Hoc eſt ardens animi mei propoſitum, mi JEſu! quod, ut efficaci gratia confirmes, oro ſuppliciter.

45. Varii affectus obedientiæ ex conſideratione ſubjectionis Chriſti in Nazareth. 1. O quis recuſet ampliùs ſubdi hominibus propter DEum, quando videt in Nazareth annis octodecim DEum immenſum fuiſſe ſubditum hominibus in exemplum noſtrum? 2. Jam probè intelligo, Magiſter Sanctiſſime, qualis eſſe debeat ſubjectio mea, dum te obſervo non perſonas

homi-

hominum in parendo, ſed DEum Patrem, cui, & propter quem in omnibus obediebas, purè duntaxat reſpexiſſe. 3. Tolle, obſecro, à me inordinatam hanc rerum, perſonarúmque acceptionem; & da, ut non ſolùm prælatis meis, ſed etiam ſubſtitutis eorum Officialibus ità deinceps paream, ut in eorum voce, non imperium quoddam humanum, ſed in ea vocem jubentis DEI agnoſcam, & ſequar. 4. Parum intereſt, cujus operâ id, quod jubeor, mihi imperetur; parum, quousque ſe extendat, quod imponitur mandatum; ſufficit, quòd intelligam ità DEum per Vicarios ſuos id velle, quod jubeor. 5. Si in fide ſuſpectus cenſeretur ille, qui aureum ſolummodo venerari crucifixum vellet; cur tu anima mea non ſuſpectam habeas obedientiam tuam, ſi doctis, & magìs perfectis obedire velis? 6. Ut igitur ad tuum mi JEſu exemplum accedam propiùs, humiliter ſubſtitutis poſthac, infimis licèt, parebo Officialibus, poſtquam tu adeò promptè ſubmiſiſti te, viliſſimis etiam homuncionibus.

46. Varii affectus humilitatis ex conſideratione Chriſti diſcipulorum pedes abluentis. 1. O inauditum hactenus in mundo, cælóque ſpectaculum! ecce Majeſtas illa, coram qua Cælum, & terra tremunt

munt, ante diſcipulorum pedes genua fle-ctit, eorúmque ſordes abluit, & linteo extergit; & tu ô vilis homuncio erubeſces adhuc eò te dimittere, quò ſe Deitas ipſa depreſſit? 2. Diſce hinc arrogans anime, quàm indigni ſint queſtus tui, quos effundis, ſi inglorius lateas, ſi ad viliora domûs munia applicéris, ſi non modò æqualibus, ſed fors etiam te inferioribus poſtponaris. 3. Putáſne ea, quæ tibi DEus clementer indulſit, talenta eſſe talia, quæ cum cæleſtibus theſauris comparari poſſint? proinde ſi quid, & quantùm potes, te humilia, tam profundè enim de te non ſenties, quin abjectius aliquid mereare. 4. Agnoſco coram te DEus vilitatem meam; confiteor, quantùm poſſum, abyſſalem nihili mei contemptibilitatem, ideo infra omnes ſecundùm id, quod ex me ſum, & habeo, libens me demitto, & abjicio. 5. Abſorbe ô abyſſus humilitatis infinita abyſſum ſuperbiæ meæ, & hoc ſaltèm tribue, ut nihil altum ſapiam, & ad abjecta quæcunque munia lubens me ſubmittam. 6. Quod ut aſſequar, ſtatuo crebriùs mentis meæ oculos in abyſſum vilitatis meæ defigere, Chriſtúmque ad piſcatorum pedes depreſſum recolere, ut efficaci hoc medio faſtum exuam, & vilia quæcunque promptiùs admittam.

47. Varii affectus patientiæ ex consideratione Christi patientis. 1. Quid hæres, patíque refugis anima mea? projice te in extensa brachia Salvatoris, & cum eo cruci configere; non est discipulus super Magistrum, aut servus major Domino. 2. Si ille in causa salutis tuæ, velut innocens agnus tam dira passus est; quid tibi tot scelerum reæ durum videri & accidere potest? quidquid pateris, nihil est in comparatione mali, quod commisisti, in comparatione boni, quod amisisti, in comparatione pœnæ, quam promeruisti. 3. Heû pudor, & dolor! sequuntur alii duces suos, ut leve stipendium referant, & Christus quò ducit? ad immortalem Cæli gloriam, & tamen, ut eam consequaris, cum onere crucis eum sequi detrectas: gestis habere partem cum Christo in Patria, & recusas consors fieri tribulationum in via? 4. O patientissime JEsu, quis te novit meliùs reprobare malum, & eligere bonum? si ergo in tribulationum cruce malum latêret, ánne eam elegisses? nunquid passionis calicem amantissimæ Matri tuæ, & Sanctis propinâsses? 5. Jam ergo, ô mi JEsu! ab hoc die tecum pati volo, tecum affligi, & crucifigi cupio. Quidquid deinceps acciderit sensibus meis contrariũ, naturæ adversum, appetitui ingratum, carni

carni aſperum, famæ, ac nomini injurioſum, omnia infractô perferam animô. 6. Ecce mi DEus, paratum cor meum ad omnes afflictionum cruces! ure, ſeca, cæde, crucia, lubens perpetiar, ut tibi ſpinoſo capiti membrũ conforme inveniar.

48. Varii affectus Charitatis erga DEum ex conſideratione illius tanquam finis ultimi. 1. O DEus principium omnium, & finis ultimus, qui me creâſti ex nihilo, ut amem te, & ſerviam tibi; ecce pronus, & ſupplex adoro te, ſubjicio me tibi uſque ad imum nihili mei, ſecundùm interminabilem tui à me diſtantiam. 2. Laudo, & benedico te fontem bonorum omnium, & quia vis amari à me, & cor meum avidè poſtulas, illud tibi totum cedo, & dono, ut jam meum non ſit, ſed tuum. Utere illo ad omne arbitrium tuum, poſtpoſitô omni arbitriô meô, quod in tuum transfero, & tuæ voluntati prorsus tradò, & reſigno. 3. Sed cur tantopere deſideras cor meum DEus meus? quia nimirum pro nihilo habes ore, & lingvâ diligi, ſi cor tecum non ſit; nihilo ducis obſequium, ſi non videas operantis affectum: hoc eſt, quod petis, non tam enim manum reſpicis, quàm animum, non tam donum conſideras, quàm donantis affectum. 4. Si filius amat patrem, quia ab illo, quod eſt, acce-

accepit; si membra amant caput, quia in eo, quod sunt, conservantur ab illo; si effectus omnes amant suas causas: quæ ratio ex omnibus deest tibi DEus meus, ob quam non debeam toto corde amare te, qui mihi dedisti totum esse, posse, operari, & conservari? 5. Utinam nulla hactenus fuisset, nulla deinceps sit vitæ meæ actio, nulla corporis & animi motio, nulla sensuum, & potentiarum functio, quæ non fuerit, aut sit, posthac ad maximam tui gloriam, amorem, & beneplacitum! hoc volo, hoc intendo, hoc, quâ possum efficaciâ, in futurum decerno, ut instar thymiamatis consumar totus in acceptissimum Divinæ Majestatis tuæ holocaustum.

49. Varii affectus resignationis in voluntatem DEI. 1. O supreme rerum omnium Domine, en quàm possum perfectissimè, voluntatem meam in beneplacitum tuum transfundo; sententiæ tuæ meam subjicio! quod tibi placet, approbo; quod negas, dimitto; quod das, accipio: ad omnem arbitrii tui nutum cereus occurro. 2. Ah satìs hucusque meus fui, qui tuus in omnibus esse debui! satìs diu injurius in te extiti, qui inordinato voluntatis meæ arbitrio toties indulsi, meísque animæ potentiis, ac corporis sensibus

bus obſequii tui miniſtris abuſus ſum. 3. Deteſtor iniquam adeò judicii mei, ac voluntatis proprietatem, ac me totum in jus tuum transfero: ſuſcipe corpus in victimam, cor in templum, vitam in holocauſtum, vires omnes, & facultates in beneplaciti tui obſequium. 4. Statue igitur de me ô DEus, quidquid tibi placuerit, cui placere non poteſt, nisì ſalus mea, utere me velut re tua, & mancipiô; nunquam tua circa me voluntas ab æterno nisì optima fuit, nunquam deinceps erit alia; mea ex oppoſito nunquam hactenus bona fuit, nec eſſe poteſt, nisì tuæ conformis. 5. En ô Domine ùt jumentum factus ſum apud te; vitam mihi, ùt voles, produc, aut contrahe; morbos pelle, aut ingere; effer me honoribus, vel preme contemptu; operum meorum ſucceſſum promove, vel everte; amores hominum erga me excita, vel odia permitte; ſcientiam, eruditionem, famam adde, vel adime; nihil ampliùs horum precor, aut deprecor; omnia tui arbitrii ſponte, ac libens facio. 6. Id unicum ô DEus, tuis in me beneficiis adde, ut nihil deinceps mihi placeat, quod tibi diſplicet; nihil mihi diſpliceat, quod placet tibi.

50. **Varii affectus Præſentiæ DEI ex conſideratione ejusdem.** 1. Quid mihi eſt

eſt in Cælo ô DEus immenſe, & à te quid volui ſuper terram? quæſivi tot annis, quem diligit anima mea, & non inveni, quia malè quæſivi: tu ſemper eras mecum, & ego rarus tecum. Palabundus hucusque per res creatas exerravi, & te Creatorem, intra me habitantem non ſuſpexi. 2. Væ tempori illi, quando te non cognoſcebam ſummum bonum animæ meæ; væ cæcitati illi, quando te non videbam, néque intuitu tuo à patrandis malis deterrebar! deteſtor, retracto, abominor veſaniam meam in tam profunda DEI præſentis oblivione toties admiſſam. 3. Quò ibo à Spiritu tuo Domine DEus meus, & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in Cœlum, tu illic es! ſi deſcendero in infernum, ades: neque te Cœli Cœlorum capere poſſunt. Oculi tui plùs lucidiores ſunt Sole, quibus greſſus meos, atque ſemitas jugitur conſideras; quomodo ergo oblviſci unquam poſſum tui? 4. Si viva fide crederem, te hìc, & ubique præſentem eſſe, & omnia opera mea, intimásque cogitationes perſcrutari, nihilque occultum eſſe oculis tuis, non auderem te audiente, & vidente ea cogitare, loqui, & agere, de quibus in conſpectu hominum erubeſcerem. Quanta enim puritate ô infinita puritas! coram te enitere

tere debeo, in cujus conſpectu Cœli non ſunt mundi, & in cujus faciem ſupremi Spiritus Seraphici reſpicere non præſumunt. 5. Abſit igitur ô Domine, ut aliquid poſthac indignum conſpectu tuo admittam, abſit, ut te inſpectante id agere præſumam, quod in virorum gravium oculis committere metuerem; abſit, ut ullo loco, quantumvìs ſecretiſſimo tui penitiſſimè omnia inſpicientis obliviſcar. 6. Fac ô mi DEus, ut potiùs oblivioni detur dextera mea, quàm ut non recorder tui omnibus diebus vitæ meæ!

CAPUT VI.
De fontibus motivorum, & affectuum.

ſ1. EXperientiâ conſtat, quòd inventis à ſe motivis, & rationibus, quisque potiùs impellatur, quàm ab alio ſibi traditis, eò, quòd illa plerumque magìs penetrentur, & animo profundiùs inſideant. Quare dum in Avanciniani Uſûs punctis myſteria fidei, ac veritates proponuntur, eæ nonniſi ſuccincta diſcuſſione ad morum doctrinam accomodata breviter declarantur; reliquus itaque labor meditaturis incumbit, tum ut conveni-

venientem exinde conclusionem practicam deducant, eámque in meditationis scopum forment, tum ut nonnulla alia commotiva ad scopum meditationis servientia, & ad excitandos affectus idonea, quantùm necessaria fuerint, ipsi investigent.

52. Proderit igitur ad communes sacræ Rhetoricæ locos, tanquam Asceticos motivorum fontes recurrere, ut his meditatio non solùm ad amplificandos discursus, verùm etiam ad promovendos affectus irrigetur uberiùs; cùm enim officium intellectûs sit per ratiocinationem, & discursum ex veritate fidei credita, tanquam ex principio, conclusiones practicas, ad morum virtutúmque perfectionem accommodatas, quæ in priori veritate, tanquam semine fructus includuntur, deducere, eásque efficacibus motivis stabilire, quibus inducatur voluntas ad prosecutionē boni, vel ad fugam mali; proderit multùm Tyronibus nondum in meditando exercitatis, ad manum habere locos quosdam fœcundiores, è quibus efficacia ad persvadendam sibi morum doctrinam ex fidei veritate deductam, eruere valeant motiva.

53. Praxis *Prima* eruendi motiva firmando meditationis scopo idonea, consi-

stit

ſtit in recurſu ad ſequentes locos Oratoribus ſacris communes. 1. Ad Authoritatem Sacræ Scripturæ. 2. Ad teſtimonia Sanctorum Patrum. 2. Ad finem Inſtituti proprii, ejúſque votorum, legum, ac conſtitutionum obligationem. 4. Adexempla Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum ſuæ præſertim Religionis. 5. Ad comparationes, & ſimilitudines. 6. Ad cauſas, & effectus. 7. Ad contraria, & repugnantia. 8. Ad antecedentia, & conſequentia. 9. Ad adjuncta, & circumſtantias. Quis, quid, ubi &c. Nè verò eadem ſemper recurrente methodo faſtidium meditantibus generetur, operæ pretium duxi, duas adhuc adjicere praxes, ad quas tum pro diverſitate ſuorum ingeniorum, tum pro facilitate quærendorum motivorum recurrere Tyrones poſſint.

45. Secunda praxis alterâ facilior, & incipientibus etiam rudioribus accommodatior, in ſequentibus ferè conſiſtit capitibus. I. Expendat meditans, quid amico hac in re conſulenti, vel aliis in malo pertinacibus, ſvaſurus eſſet? quibúſque rationibus ad propoſitæ virtutis exercitium eoſdem inducturus eſſet? his ſibi applicatis idem ipſe facere decernat. 2. Conſideret, quid in morte? quid in judicio?

 quid

quid in ipso æternitatis felicis, aut infelicis aditu se fecisse velit? 3. Revolvat animo, quid Christus ipse hujus vitæ calamitatibus nostri causâ subjectus, tam verbô, quàm exemplô docuerit, ad exercendum ejusmodi virtutis actum, aut vitii fugam. 4. Recogitet, quomodo sancti exemplô suô in ejusdem virtutis studio sibi præiverint? quod illi potuerunt non ex infirma sua, & corruptibili natura, sed ex Dei gratia, cur idem non possit ipse in brachio excelsi? 5. Pensitet, an non id svadeat augmentum præsentis meriti, magnitudo futuri prœmii, tótque alia à Deo collata in te beneficia, tam universalia, quàm particularia? 6. Trutinet, an non hoc exigat finis creationis, titulus religiosæ vocationis, ratio Instituti proprii, obligatio votorum, legum, ac religiosæ perfectionis? 7. Ponderet, quàm gloriosum sit Deo amicum esse, Christo autem dilecto ejus filio, tam hic, quàm in æternum esse simillimum. Hæc, & alia ad excitandum universè discursum, affectúsque faciliùs promovendos utiliter servire poterunt.

55. *Tertia* praxis valde idonea conquirendorũ motivorum complectitur sequẽtes quinque fontes, quos suppeditat ad cujuscunque virtutis exercitium, aut vitii fugam:

fugam: Necessitas, utilitas, dignitas, seu honestas, æquitas, & jucunditas, sive facilitas. Qui fontes cum suis contrariis uberem præbent intellectui motivorum copiam. Quod ut efficaciùs fiat, poterit doctrina talis ad alios primùm applicari, dicíque v. g. quid si alius, hoc vel illud faceret, an non insigni laude, meritô, præmiô; aut è contrario, reprehensione, & pœnâ dignus foret? postea ad se fiat conversio, expendatúrque, quantò magìs sibi ejusmodi doctrina conveniat ex ejusdem necessitate, æquitate, dignitate, utilitate, facilitate. Ex quibus tamen quinque fontibus non est opus, ut motiva semper ex omnibus sumantur, verùm sufficit, si juxta materiæ exigentiam, jam ex uno, & altero, jam ex reliquis petantur. Quod de prioribus quoque praxibus intelligendum est. Unde porrò desumatur rei, de qua agitur, necessitas, utilitas, dignitas, æquitas, & jucunditas, ulteriùs declarandum restat.

56. Necessitas desumitur 1. ex authoritatibus divinæ scripturæ, præceptis Dei, & Ecclesiæ, doctrina Christi, & sanctorum Patrum testimoniis. 2. Ex fine creationis, & Religiosæ vocationis, itèm ex obligatione Instituti proprii, ejúsque votorum, legum, constitutionúmque. 3.

Ex ratione medii, sinè quo intentus finis obtineri nequit; quale medium est abnegatio sui, ad ferendam in Religione crucem Christi. 4. Ex debito, quod ex peculiaribus resultat titulis, qualis est v. g. titulus hominis prout ratione præditi, prout Christiani, prout Religiosi, prout Socii JEsu, prout Sacerdotis. 5. Ex causis, & effectibus; itèm ex antecedentibus, & consequentibus. &c.

57. Utilitas desumitur 1. Ex commodis, quæ sequuntur ex tali virtutis actu, vel fuga vitii tam nobis ipsis, quàm aliis, puta: vivis, defunctis æqualibus, superioribus, inferioribus &c. hujusmodi commoda possunt esse tam spiritualia, quàm temporalia; tam hujus vitæ, quàm alterius. 2. Ex sententiis Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum, commoda rei ad meditandum assumptæ exprimentibus 3. A similitudine, & comparationibus v. g. si pro modico temporali lucello longa via curritur: quantò magìs pro æterna beatitudine ad quævis ardua virtutum exercitia connitendum est. 4. Ex consequentibus ab opposito damnis, & incommodis tam spiritualibus, quàm temporalibus. &c.

58. Æquitas desumitur ex his 1. Quòd talem virtutis actum, aut vitii fugam,

gam, vel inordinatæ passionis repressionem, svadeat lumen naturale. 2. Quòd exigat officium boni Christiani, aut Religiosi, vel Socii JEsu &c. 3. Quòd idem dictet legum æquitas, mens fundatoris, exigentia Religiosi statûs, ratio tot beneficiorum à Deo acceptorum, titulus promissionis Deo factæ. 4. Quòd idem præstent alii minoribus longè motivis incitati, paucioribus mediis, & auxiliis instructi; neque tot, aut tam grandibus titulis obstricti. &c.

59. Dignitas, seu honestas 1. Includit bona exempla, quæ vel Christus, vel Beatissima Virgo, vel alii Sancti maximè Societatis nostræ, in hac vel illa virtute nobis dederunt; per cujus exercitium nos quoque conformes erimus Christo, ejúsque Sanctis. 2. Includit bona exempla, quæ nos per ejusmodi virtutem aliis dare possumus, ædificando illos in Domino, & juvando ad virtutis amorem. 3. Desumitur à magna æstimatione, quam conciliat ejusmodi virtutis studium, aut vitii fuga, tam apud Deum, & Sanctos in cœlis; quàm apud superiores, æquales, & inferiores probos in terris. 44. Desumitur à laude & encomiis, quibus talis actus virtutis, aut fuga vitii extollitur à

Scriptura Sacra, aut Sanctis Patribus, vel aliis viris illustribus. &c.

60. Facilitas desumitur 1. Ex spirituali solatio, & lætitia animi, quæ hauritur ex virtutis exercitio, & fuga vitii. 2. Ex amore virtutis, & spe prœmii cœlestis indè consecuturi; spes quippe, & amor onus alleviant. 3. Ex assiduo virtutis studio, & exercitatione resistentiam naturæ sensim vincente. 4. Ex unctione gratiæ Cœlestis objectivam virtutis difficultatem emollientis. 5. Ab aliorum exemplis paria, imò adhuc majora, non ex seipsis, sed ex DEI gratia operantium. 6. Ex fiducia, & erectione animæ sese adversùs vanas apprehensæ difficultatis opiniones, ab amore proprio ingestas opponentis, plùs quippe terrentur homines ab opinionibus, quàm à rebus ipsis &c. Tres hæ praxes facilè cuivis efficacia, & proposito meditationis Scopo convenientia suggerent motiva.

CAPUT VII.

Practicus fontium usus nonnullis motivorum exemplis illustratur.

MOtiva ad religiosam paupertatem. 1. An non dignum est, ut membrum

ca-

capiti, id est Christo, qui propter nos egenus factus est, conformetur? 2. An non æquum est, ut pro brevi vitæ hujus itinere parvum viaticum præparetur? 3. An non sublime, & gloriosum, id habere sub pedibus, quod mundi reges gerunt in capitibus, aurum scilicet? 4. An non utile, & quæstuosum est, terrena pro cælestibus, temporalia pro æternis, simplum pro centuplo commutare? 5. An non jucundum est, in Sanctæ paupertatis, tanquam matris gremium recipi; ibidémque succisa omnium malorum radice, id est terrenarum opum cupiditate exuta, ab omnibus securum insidiis requiescere? 6. Qui pretiosum thesaurum habet, non patitur in eo vas luteum; absit ergo, ut tu DEum in corde gestans, res vilissimas per terrenorum bonorum amorem immiscere præsumas? 7. Olim Philosophi omnia reliquerunt, ut speculari Cælum possent: & tu JEsu Socie non libenter idem facias, ut cælum obtineas?

62. Motiva ad castitatem. 1. Si juxta commune Philosophorum axioma: expulsio privationis debet præcedere formæ introductionem; quomodo tu introducere in cor tuum poteris DEum, si priùs impurum creaturarum amorem, qui est privatio amoris DEI, non expuleris? quæ

enim eſt conventio Chriſti ad Belial? aut quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? 2. ad Corinth. 6. 2. Arca DEI non operabatur ſtupenda illa opera, quamdiu idolum Dagon in templo ſtabat; quomodo tu ſperare poteris DEUM mira in templo animæ tuæ operaturum, ſi etiamnum aliqua creatura, quam velut idolum colis, & amas, in eadem anima tua requieſcat. 3. Nè pretioſam veſtem inficias, cœnoſam viam ſolerter evitas; cur non majori ſtudio impuritatis cœnum caveas, nè pretioſam corporis, & animæ munditiem defœdes. 4. Caſtitas efficit ſpecialiter corpora noſtra templum Spiritûs Sancti; abeſſe ergo debet abominatio deſolationis à loco hoc ſancto. 5. Crucifixi effigiem lutô deturpare non auderes; quantò magìs te, qui imago DEI es, obſcœna labe polluere erubeſces? 6. Quid Sanctiſſima Trinitate majus, & ſublimius? ſed nihil quoque purius; unde illud Nazianzeni: Prima trias virgo eſt. 7. Quid DEO-homine excellentius? at nihil quoque caſtius; quid ejus Matre, Nutritio, & Præcurſore Sanctius? verùm nihil iiſdem etiam mundius. 8. Quanta eſt Angelorum pulchritudo, & Martyrum gloria? at Caſtitas, Ambroſio teſte, non ſolùm Martyres facit, ſed etiam Angelis æquales reddit;

omnis

omnis itaque ponderatio non est digna continentis animæ. Eccli. 26.

63. Motiva ad obedientiam. 1. Si religiosus status est congregatio eorum, qui ad perfectionem tendunt sub certis legibus, statutis, & uno capite; potéstne aliquid magìs necessarium ad ejus tam erectionem, quàm conservationem esse, aut excogitari, quàm obedientia? sinè hac enim, si quisque in Religiosa familia id ageret, quod luberet; quis, obsecro, horror, quæ perturbatio, quæ dissensiones orirentur? nec ampliùs religio cum veritate dici, & esse posset. 2. Si autem in omnibus religiosis ordinibus necessaria adeò est obedientia, quantò ampliùs in Societate JEsu, quæ ex tam diversis in unum coalescit nationibus, tam varios gradus, & officia in se complectitur; cujus vocationis est diversa loca peragrare, & vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus DEI obsequium, & animarum salus speratur. Quî hoc sinè excellenti obedientia fieri poterit? 3. Ecce DEus-homo non solùm Matri suæ, & S. Josepho, sed etiam profano Augusti edicto, imò iniquissimis quoque judicibus, & sacrilegis carnificibus sponte sua paruit; & tu vilis homuncio adhuc putas esse arduum hominibus te subjicere. 4. Si in omnibus actionibus

appareret Angelus, & quid, ac quomodo agendum, aut omittendum sit, dictaret, quàm felicem te putares? atqui certior es de voluntate DEI, si Superior præcipiat; cur ergo nòn beatum te censes, quòd eum sequi, & audire queas? 5. Sola obedientiæ via, sicut à judicio proprio, & voluntate propria est remotissima, ità nullis errorum ambagibus est obnoxia; unde certa prædestinationis est nota juxta illud Christi: Si vis ad vitam ingredi serva mandata. Matth. 19. 6. Si viatori in itinere periculoso se offerret comes errare nescius, an non promptè ei se adjungeret, ac pareret? cur ergo non & tu obedientiam fallere nesciam, pro duce itineris ad perfectionem, & cælum assumis?

64. Motiva ad excitandum spiritûs fervorem. 1. Avarus nihil relinquit, quod non cupiat, cùm tamen desideria tantùm serviant majori torturæ, quid faceret, si simul, ac concupisceret, res quoque possideret? sicut tu facere potes: an multum à te petitur, si exigatur, ut pessimos, id est avaros imitando optimus fias? 2. Si mendicoi per unum diem facultas daretur ex Rego thesauro, quantum vellet, & posset, auferendi; an putas unicô momentô otiaturum? cur ergo tu tam tepidè te geris in immortalibus divitiis hoc brevi spa-

tio

tio vitæ congregandis? 3. Natura semper conatur meliori modo, quo potest, opera sua facere: an gratia in te non poterit, quod natura suis viribus potest? 4. In omnibus aliis rebus optima vis habere; cur non ergo & vitam, & opera optima? cur in pecunia, & mercibus emendis non vis decipi, & in te ipso, ac vita tua affectas illudi? 5. Si tua salus, & omnium hominum à quovis opere tuo penderet, numquid summam in eo perfectè absolvendo industriam adhiberes? cùm ergo nunc à quovis opere tuo pendeat gloria DEI, quæ pluris facienda est, quàm tua, omniúmque salus hominum, nunquid oscitanter illud exequi audebis?

65. Motiva ad patientiam. 1. Christus in tui sanitatem totum passionis calicem exhausit; cur tu aliquot saltèm guttulas ad ejus gloriam gustare renuas? 2. Si Angelus nuntiaret esse divinam voluntatem, ut hanc, vel illam adversitatem patiaris, an non libenter eam sufferres? atqui certior est fides, quàm si Angelus de cælo nuntiaret; cur ergo patienter adversa excipere recusas? 3. Solantur se alii in doloribus, si homines passionis socios habeant; cur solatium tu non haurias, quando passionis Socium te habere DEum vides? 4. Si particulam materialis cru-

cis Christi ab aliquo donatam, non sinè gaudio singulari acciperes; cur spiritualis crucis partem, quæ longè præstantior est, cum tristitia, & odio acceptes? 5. Nunquid credis mysterium Trinitatis, quia Christus revelavit? crede ergo tribulationes quoque bonas esse, quia illas Christus beatitudines vocavit. Si autem bonas esse credis, cur illas ùt tales ferre renuis? 6. Quidquid pateris, nihil est in comparatione mali, quod commisisti; in comparatione boni, quod amisisti; in comparatione pœnæ, quam meruisti, in comparatione cælestis gloriæ, quam in retributionem sustinentiæ consequêris.

66. Motiva ad continuum mortificationis studium. 1. Miles stat accinctus armis semper, si est inter hostes semper. Et tu es: foris enim pugnæ, intus timores, habes latentes domi hostes continuos, nempe rebellantes jugiter passiones tuas; mortificationis ergo armis incessanter utere. 2. JESU conformem esse, tibi ejusdem socio nunquid convenit? at tota ejus vita crux erat continua; unde Marc. 10. dixit: Potestis bibere calicem, quem ego bibo, ponens in præsenti, quòd semper calicem passionis biberit, etiam ante passionem. 3. Qui continuum pœnæ æternæ meruit; quid magnum, si continuum

pœnæ

pœnæ temporaneæ ultro ferat? 4. Qui continuum gloriæ æternæ ſperat, ad quam non ſunt dignæ paſſiones hujus temporis; quid magnum reputet, ſi continuò exhibeat, quod non eſt condignum, ſed leve tribulationis? 5. Punias in te ipſe, nè puniat DEus; nam inquantum non peperceris tibi, parcet DEus. 6. Si continuò tibi cum hoſte luctandum eſſet, numquid enervare illum ſemper ſtuderes; cur non ergo carnem ſemper atteras, cum qua perpetuum animæ tuæ duellum eſt?

67. Motiva ad contemptum mundi. 1. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. 1. Joann. 2. 2. Chriſtus omnia mundo contraria elegit; aut ergo mundus errat, aut Chriſtus fallitur; atqui hunc, cùm infinita ſit ſapientia, falli impoſſibile eſt; ergo mundum errare neceſſe eſt. S. Bernardus. 3. Si bonus eſſet mundus, adhuc tamen ſtultè præponeretur DEO, in quo eſt omne bonum; quantò ſtultiùs præponetur illi: cùm totus adeò ſit in maligno poſitus. 4. Si modicum fermenti totam maſſam corrumpit, quid illi ſanum inerit, qui mundo miſcetur, ubi & fermentum, & maſſa tota corrupta eſt? 5. Quemadmodum mundo mortuus es, dum è mundo egreſſus es; ità DEo morieris, ſi admundum redieris: fiésque arbor

bis

bis mortua, & infructuosa, nec mundanæ vitæ fructibus, nec religiosæ gaudens. 6. Si mundus iis, qui fideliter ei serviunt, tam fallax & perfidus est, qualis tibi futurus esset, si postquam defecisti à mundo, deficeres quoque à DEo, infidelis utrique? an non te mundus, ùt desertorem sui persequeretur; DEus verò tanquam perfidum castigaret.

CAPUT VIII.

De diversis meditantium statibus, qui communiter exercitio orationis occurrere solent.

68. AD plenitudinem doctrinæ hactenus traditæ, valde necessarium est Tyronibus, diversos exponere status, in quibus meditantes versari possint; simúlque explicare, quomodo in singulis se habere debeant; sinè hac quippe directione frustraneus esset omnis meditandi labor, & mille illusionibus expositus; cùm oppositarum in animo commotionum oratio mentalis, utì & quælibet ferè alia spiritualium rerum tractatio, sit feracissima.

69. Status porrò hujusmodi sunt inter se multùm differentes: quandoque enim experitur quis, magnam in orando facilita-

litatem, & animi promptitudinem; aliàs ſiccum adeò, ac ſterilem ſe advertit, ut nè quidem materiam adoriri, aut ullum bonum affectum formare poſſit. Uno die quis perſentiſcit fervorem, altero langvorem; uno magna perfruitur quiete, ac mentis attentione, altero millenis turbabitur diſtractionibus. Erit cùm magnâ quis affluet devotionis abundantiâ, & conſolationibus, mox moleſtiſſima ariditate, & deſolationibus affligetur: imò quandoque à graviſſimis impugnabitur tentationibus. Hoc plurimùm affligit Novitios, qui hujuſmodi moleſtiis inquieti, & puſillanimes redduntur; ſenſibilibus è contrà ſolatiis nimis adhæreſcunt, iiſque ad nutriendum nonniſi amorem ſuum proprium utuntur.

70. Quæres: undenam hujuſmodi mutationes proveniant? ℞. Illas quandoque provenire à DEo, interdum à nobismetipſis, aliquando à dæmone; nunquam enim orationi vacamus, quin non hi tres ad eam concurrant: DEus principaliter agendo, homo cooperando, dæmon impediendo. DEus tanquam principalis director orationis, aliquando hominem, per viam ducit ſenſibilis devotionis, & conſolationum; ſubindè per viam ariditatis, & deſolationum. Anima quoque homi-

nis

nis ex parte sua agit, divinæ directioni cooperando; verùm sicut illa corpori multis vicissitudinibus subjecto est affixa, à quo etiam in operando dependet; ità quandoque facilitatem, interdum difficultatem, & fastidium experitur, ac proinde frustrà homo caput suum obtunderet, qui æquali semper passu procedere niteretur, juxta illud sapientis: corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem.

71. Dæmon etiam suis non deest partibus, hominémque, ab oratione, quantùm potest, avertit. Quod triplici præstat insultu: 1. Meditationem persvadere nititur rem esse, vel omnino impossibilem, vel verò esse purum DEI donum, omnem excludens humanam industriam. 2. Cùm meditationem non potest, saltèm ejus successum præpedire studet, suggerendo impertinentes, vanas, ac pravas cogitationes; commovendo humores corporis, ut magnas quis sentiat gravedines, tædia, & dolores; excitando molestissimas tentationes contra puritatem, contra fidem, contra DEUM. Cæterùm interiores animæ recessus penetrare nequit, sed totus ejus conatus hæret in imaginatione, & sensibus, quarum commotionum, ac ten-

tionum non nocet ſenſus, ſi abſit conſenſus. 3. Excitat interdum illuminationes fallaces in imaginatione, & ſenſibilia quædam gaudia in appetitu ſenſitivo, curátque ſubtiliter, ut hæ illuſtrationes, & gaudia deſinant in elationem animi, ſenſuum libertatem, aliáque non levia vitia.

72. Quæres 2 Quid agendum, ubi quis in meditatione moleſtis impetitur tentationibus? ℞. Modum reſiſtendi illis non debere neceſſariò eſſe tam efficacem, ac ferventem, ut ei ſtatim cedat, & abſcedat tentatio: non enim, ùt priùs diximus, nocet ſenſus, ubi deeſt conſenſus, ſed ſufficere, ſi hæc præſtes. 1. Ut ante omnia tentationes ejuſmodi tibi diſpliciant, cujus diſplicentiæ hæc certa erunt ſigna, nempe: ſi moleſtæ tibi illæ accidant, ſi nolles eas pati, & ſentire; vel ſi cupias meditationem à tentationibus vacuam habere. 2. Omnia hæc ſola duntaxat mente ſentire ſufficit, ideo opus non eſt ad negandum tentationibus conſenſum, aut dicere: nolo, aut iis capite abnuere, vel alio corporis motu diſplicentiam oſtendere; ſi hoc pacto te geſſeris, non fatigabis caput, ſicut non foret opus fatigare caput ad fugandas tenebras è cubiculo, ſi nolente, & invito te extinctâ candelâ cubiculum tu-

um

um occuparent; sed satìs esset, si eæ tibi displicerent, lucémque optares suo tempore.

73. In casu occurrentium quarumcunque tentationum de hoc Novitios singulariter monitos velim, ut hilaritatem potiùs mentis, quàm angorem assumant, talis enim tristitia, timor, & anxietas multùm obest, novásque tentationi vires suppeditat. Ratio est: quia juxta communem Philosophorum doctrinam, timor naturaliter phantasiā movet, atque si hæc multùm circa rem quampiam occupetur, fortiùs illam, tenaciúsque memoriæ imprimit, unde tentatio postea longè vivacior evadit. Quod in trabe non admodum lata videri potest, quæ si humi jaceat, ludibundus quis eam transit; si autem super fluvium præterlabentem, aut elevatiori quopiam in loco collocetur, non sinè ingenti metu, & horrore calcabitur: quia scilicet timor, plerumque sanguinem introrsum vocat, sícque efficit, ut exterioribus membris suo vigore destitutis, non sinè periculo, & horrore quis incedat. Unde ad vincendas facilè tentationes utilis, ac necessaria est lætitia spiritualis, anxietatem mentis excludens.

74. Quæres 3. Quid faciendum, ubi quis magnam persentiscit repugnantiam,

ac

ac tædium ad orationem? ℞. Magnâ opus esse in semetipso vincendo curâ, & fidelitate, nè unquam ab oratione se subducat, aut suo in illa muneri desit: quia repugnantia illa est manifesta dæmonis tentatio. Unde si in tali casu nihil aliud facere posset, quàm quòd statuæ instar genuflexus persistens diceret: Domine propter te, & tui amorem hìc maneo, multùm foret. Connitendum interea est, ut in tali statu subindè eliciat internos actus adorationis, resignationis, oblationis, aliósque similes; tametsi verò id fieri videatur sinè ullo gustu, nihilominus actus illi DEo erunt acceptissimi, & pro orantis anima meritorii; unde uberiorem quis ex hujusmodi victoria sui sperare protest fructum, quàm si magna potitus fuisset facilitate, & tranquillitate.

75. Quæres 4. Quid agendum, ubi quis in oratione notabilem capitis dolorem, aut virium debilitatem experitur? ℞. Cavendum esse in simili casu, nè quis violenter hoc malum superare velit, quin potiùs è contrario valde svaviter illi procedendum erit, & exigua cum activitate, & potentiarum leni applicatione orationi insistendum erit. Hinc loquendo universim, dico sufficere pro tali, si absque ulla contentione capitis, & pectoris, cogitet sva-

ſvaviter de re aliqua pia, in punctis meditationis contenta; eo modo veluti illa repræſentando, quo ſolemus aſpicere aliquam imaginem piam, quo aſpectu non fatigatur caput, & interim pius aliquis excitatur in anima affectus vitandi aliquam imperfectionem, aut faciendi aliquod opus bonum, vel in eo perſeverandi; cæterùm humiliter, & cum plena in DEum reſignatione hoc malum perferri debet; ſufficiénſque hoc pacto fructus exinde referetur.

76. Quæres 5. Quotnam ſint ſtatus, & qui, per quos communiter Deus in orationis exercitio ducit? ℟. Triplicem eſſe ſtatum, quorum *primus* eſt ſtatus communis, & ordinarius veræ, & ſubſtantialis devotionis, qui nec abundat ſenſibili ſvavitate, & conſolationibus, nec laborat ariditate, & deſolationibus, ſed inter hæc extrema conſiſtit medius. *Secundus* eſt ſtatus ſenſibilis devotionis, in quo tanta hominem piorum affectuum ſvavitas, & dulcedo afficit, ut ea nequaquam in ſuperiori ejus parte ſe contineat, ſed per redundantiam, in partem quoque inferiorem, ac ſenſitivam ſe transfundat, ejúſque ſenſus externos juncundè & perceptibiliter penetret. *Tertius* è diametro oppoſitus, eſt ſtatus ariditatis, & deſolationis.

tionis, molestus quidem, ac difficilis, verùm excellentissimus, & maximè meritorius; quibus DEus animas fideliores exercet. Hos status diversos distinctis capitibus exponemus.

77. Pro tribus hisce statibus magnæ necessitatis, & utilitatis documentum fideliter observandum accipe. In cujusvis meditationis tuæ principio ità comparatus esto, ut plenissimam in omne Dei beneplacitum resignationem, & indifferentiam habeas, sive is velit te ducere per lumen, seu per tenebras, sive per solatia, & gustus sensibiles, seu per ariditates, & desolationes. Quæcunque enim DEus facit, non possunt non esse tibi quàm maximè proficua, totúmque in eo situm est, ut omnia de manu DEI æquo suscipias animo. Et verò quid refert, quâ viâ ad eum venias, modò illuc pertingas? constanti igitur resolutione opus est ad acceptandum cum indifferentia statum quemcunque ex tribus allegatis: neque enim orationis exercitio vacare debes pro tua oblectatione, sed ut DEo placeas: si autem magìs illi places in tua siccitate, quàm abundantia; in ariditatibus, quàm svavitatibus; quis es tu, qui objectum delectationis illius mutare velis?

CA-

CAPUT IX.

De statu ordinariæ devotionis inter solatia sensibilia, & desolationes medio.

78. DEvotio vera, ac substantialis, nihil est aliud, quàm voluntas prompta & resoluta ad faciendum, quidquid spectat ad servitium Dei. Hæc autem devotio, seu voluntatis promptitudo, potest esse in anima hominis, vel cum voluptate, & oblectatione sensibili; vel cum ariditate, & desolationibus, vel demum absque utrisque his extremis; quod tunc contingit, quando DEUS homini gratiam tribuit nonnisi ordinariam, quæ est imperceptibilis, sícque permittit, ut ipse laboret, applicando industriam, traditáque meditationis praxi utendo. Qua in re plurimùm oblectatur Majestas Divina, ubi videt nos sollicitè curantes, ut penitiorem ejus cognitionem, ferventiorémque amorem consequamur; qui labor nobis est valde utilis & meritorius.

79. Ea propter magnô animô debes hunc statum suscipere, & in eo absque omni fastidio, aut viæ alterius desiderio permanere, imò statum hunc magni facere, reliquísque præferre debes: DEUS enim est, qui illum tibi decernit, tanquam

quam ſufficientem, aptúmque, quo mediante adæquatum meditationis finem, & fructum conſequaris. Via hæc eſt valde conſentanea naturæ humanæ: quia ratio illic agit; nec admodum difficilis eſt: quia gratia Dei ordinaria nobiſcum operatur, etſi illam ſenſibiliter non advertamus; id quod Novitii bene debent advertere, nè incidant in errorem eorum, qui nunquam oratione ſua contenti ſunt nisì ſenſibilem in ea conſolationem experiantur, quæ communiter non ſervit iis, nisì ad deliniendam blanditiis eorum naturam, amorémque proprium fovendum.

80. Hic igitur ſtatus eſt inter conſolationes, & deſolationes medius, in quo mens hominis ordinariis ſuis functionibus relinquitur, nihil hinc turbante ariditate, nihil illinc provocante ſenſibili ſolatio. Hujuſmodi quies, ac tranquillitas inſtar ſanitatis naturalis eſt, ubi magna temporis ratio habenda eſt, ut fructuosè collocetur, tanquam acceptabile tempus, & dies ſalutis. Strenuè itaque hac in via laborandum eſt, excitando intellectum ad inquirenda convenientia motiva, quibus inflammetur voluntas, hanc deinde flammam nutriendo, & affectuum materiæ conformium productione augendo, denique traditam hactenus meditandi normam in praxim redigendo.

81.

81. Quæres 1. Cuinam incommodo ſtatus iſte ſit obnoxius, contra quod hac via incedentes ſe munire debent? ℞. Statum hunc diſtractionibus eſſe obnoxium, contra quas ordinariè conqueruntur ii, qui hac via procedunt. Diſtractiones porrò hujuſmodi, aliquando eos ex improviſo, ac inadvertentes occupant, ſenſímque à propoſito divertunt. Aliquando advertenter iis cedunt ipſi, licèt quaſi inviti, ob nimiam eorum importunitatem. Quandoque ex culpabili ignavia iiſdem locum præbent. Quæ autem ſint cauſæ ac radices diſtractionum, quæve remedia adversùs illas uſurpando, in ſequentibus dicemus quæſtionibus.

82. Quæres 2. Quænam ſint cauſæ diſtractionum? ℞. Eſſe ſequentes. 1. Eſt fragilitas, & inconſtantia humani intellectûs. 2. Dæmonis fraus, & malitia. 3. Multitudo vanorum deſideriorum, affectuúmque inordinatorum. 4. Incuſtodia ſenſuum exteriorum, tam ante, quàm in meditatione. 5. Negligens phantaſiæ, triúmque potentiarum ad evagandum pronarum recollectio, & ad meditandum applicatio. 6. Omiſſio præviæ diſpoſitionis debitæque præparationis ſuperiùs Numero 10. deſcriptæ. 7. Immoderata rerum agendarum, aut futurorum

rum

iísque, voluntariè non inhærendi gratiam à DEO postulent, ac materiam meditationis resumant. Magnus quippe fructus orationis censendus est, quòd quis in ea ad finem usque perducenda fidelis persistat, neque tædio, aut impatientiâ victus eandem derelinquat; in tali namque oratione præter actus patientiæ, & humilitatis, exercetur actus Religionis, tantò præstantior, quantò plures in eo exercendo difficultates vincuntur. Itèm actus heroicæ fortitudinis, & constantiæ, dum propriæ inclinationi tam fortiter resistit, & in oratione non obstantibus distractionibus perseverat. Hinc gaudendum potiùs, quàm tristandum est ob importunas ejusmodi contra voluntatem incidentias.

CAPUT X.

De statu devotionis sensibilis.

86. DEvotio vera, & substantialis in promptitudine, & efficacia voluntatis ad præstanda DEI obsequia consistens, tantam subindè extraordinariarum mentis illustrationum, svavissimorúmque voluntatis affectuum sibi conjunctam habet abundantiam, ut ea nequaquam in superiori hominis parte se conti-

neat, sed in inferiorum quoque, & sensitivam diffundat, omnésque sensus externos jucundè, & perceptibiliter irriget, ac penetret; ità ut cor hominis inardescat, vultus inflammetur, membráque omnia singulari quadam agilitate afficiantur. Hunc statum esse dicimus devotionis extraordinariæ, & sensibilis, in quo nè Tirones errent, plenam iis instructionem, & doctrinam, non minùs utilem, quàm necessariam per varias quæstiones subjiciemus.

87. Quæres 1. Undenam proveniat svavitas, & dulcedo sensibilis? ℞. Apud Tirones provenire ex sequentibus. 1. Communiter ex DEI benignitate, volentis recenter ad se conversos attrahere, quos non solùm orantes, sed etiam subindè aliis intentos occupationibus repentè tangit, & indicibili interiùs svavitate replet; tum ut iis voluptatum sæculi nauseam, & fastidium inducat; tum ut ad exercitium orationis svaviter pelliciat; tum ut eosdem in suo servitio immobiles efficiat. 2. Interdum ex devotionis internæ notabili redundantia corpus post se trahente, & ad spiritualia elevante. 3. Nonnunquam ex rerum spiritualium, quas meditantur, & nunquam antè consideraverant, novitate. 4. Ex teneritudine indolis, & natu-

ræ facilioris mollitie ad recipiendas quorumlibet objectorum impressiones apta, ac disposita.

88. Quæres 2. An sensibiles hujusmodi consolationes etiam dæmon imitari, atque excitare possit in homine? ℞. Eum posse non solùm jucundas phantasiæ repræsentationes proponendo, ut egregias ei veritates aperiat, sed etiam commotis nonnihil corporis humoribus titillando sensus, eósque lætitiâ afficiendo. Cujus finis, ac intentio est, ut anima tali oblectationi immorans, illáque se, magna quasi voluptate nutriens, incidat in gulam spiritualem, crassámque sui ipsius complacentiam, ex qua nonnunquam sequuntur graves capitis dolores, qui hominem pro tempore non modico ineptum reddunt ad orandum. Hinc fit, rem esse magni momenti, ut quoad hos gustus, undecunque tandem illi proveniant, semper quis consulat suum in spiritu Magistrum, & Directorem, ubi primùm eos adverterit. Præsente enim consolatione sensibili imperare sibi nequit juventus, quæ aliunde semper ad extrema vergit, & vires suas, ex rerum delectatione metitur.

89. Quæres 3. Quænam sint indicia, ex quibus dignosci queat, quis devotionis gustus, & consolatio sensibilis sit à

DEO, quis autem à dæmone? ℟. Veros devotionis guſtus, & conſolationes ab adulterinis ex hiſce diſcerni ſignis. 1. Vera conſolatio ſenſibilis non eſt vehemens, aut impetuoſa, ſed tranquilla, lenis, & pacata. 2. Carnem non titillat, ſed inordinatos ejus motus compeſcit, & mitigat. 3. Mentem accendit, & illuſtrat, non tamen extollit, & inflat. 4. Obedientialia opera arbitrariis, communia privatis, præſcripta ſpontaneis anteponit. 3. In parendo cæcam voluntatis, ac judicii ſubjectionem inducit. 6. Non utitur oratione tanquam fine, ſed eam velut medium ordinat, ad fidelem legum Divinarum, ſuique Inſtituti adimpletionem. 7. Impellit hominem ad exactam minimorum curam, profundam animi humiliationem, ſanctum ſui ipſius odium, & actuoſum DEI amorem.

90. Quæres 4. Quomodo in veræ devotionis ſenſibilis guſtu ſe Novitius habere debeat? ℟. Sequentia, nè erret, obſervanda eſſe. 1. Cor ſuum magna cum humilitate, & reverentia ad hujuſmodi guſtus recipiendos aperire debet; merum in iis Dei donum agnoſcendo, nec quidquam ſuis meritis, præparationi, aut fidelitati attribuendo. 2. Ità eorum impulſibus parebit, ut opera ex Regulis præſcripta,

arbi-

arbitrariis, debita ſpontaneis, communia privatis non poſtponat. 3. Curabit, nè in iis tanquam fine otioſus conquieſcat, ſed utatur iis tanquam efficacibus mediis à DEO datis ad extirpanda vitia, & exercendas virtutes. 4. Cavebit ſedulò, nè vota, promiſſiones, & indiſcreta rerum extraordinariarum propoſita ſtatuat v. g. humi deinceps ſemper cubandi. 5. Vitabit ex una parte nimiam potentiarum activitatem, pectoríſque, ac capitis contentionem, ex altera parte otium, ſocordiam, & quietem; in quorum medio tutiſſimus ibit. 6. Meminiſſe debet, quàm ignavus, & puſillanimis ſit ingruente deſolatione, nè in complacentiam vanam incidat, quæ conſolationes plerumque ſequi ſolet.

91. Qui naturæ ſunt tenerioris, ac ſenſibilioris hac via debent cum magna circumſpectione, & cautela procedere, ductúmque ſui in ſpiritu Magiſtri ſingulariter ſequi; alioquin timendum eſt, nè, ſicut ordinariè ſunt ſui ipſorum amantiores, imaginationíſque vivacioris, ac genii inconſtantis, & inæqualis; ità in moleſtos incidant caſus. Etenim totos ſe huic ſvavitatis oceano immergent, magnóſque DEI amicos ſe reputabant, & nonnunquam ſibi imaginabuntur ea ſen-

tiri, & gustari à se, quæ nec sentiuntur, nec gustantur. Ratio hujusmodi illusionum est: quia has consolationes sensibiles non recipiunt cum discretione, judicio, & Spiritu DEI, sed juxta genium suum, qui in ipsis multùm inæqualis, & inconstans est; hinc sæpe ex uno extremo, exerrant in aliud, súntque durante sensibilis dulcedinis gustu supra modum devoti, ferventes, mortificati, modesti &c. mox recedente consolatione, emancipati, leves, curiosi, insolentes, &c.

92. Veræ porrò consolationes sensibiles quemadmodum non sunt despiciendæ, quoniam & à DEO donantur, & à peccatis, atque imperfectionibus incipientes abducunt, eorúmque actiones aliquantùm perficiunt, ac facilitatem in obsequium DEI inducunt; ità quoque non sunt supra modum æstimandæ. Tum quia non sunt necessarii solidarum virtutum effectus; tum quia non sunt necessaria profectûs spiritualis instrumenta, sinè quibus plurimi magnam virtutem, & mentis puritatem consequuntur. Quòd si recesserint tales spirituales gustus, nemo tristetur, aut turbetur, nihil quippe ab eo tollitur necessarium ad spiritualium profectum; si verò consolationes sensibi-

les

les affluant, nemo propter eas meliorem se existimet, nec alios eas non habentes contemnat, aut suam in iis virtutem constituat.

93. Ex his inferant Tirones, pro Sacramento pœnitentiæ non requiri dolorem sensibilem, id est talem, qui cum experimentali motione cordis eliciatur, sed sufficere dolorem purè spiritualem, seu rationalem, qui in sola præcisè interna animæ displicentia, & efficaci odio peccati consistit. Nam, sicut consolationes sensibiles non sunt in potestate hominis, neque in illis solida virtus, ac devotio substantialis necessariò consistit: ità nec talis dolor sensibilis est in libera potestate hominis, nec in eo sita est vera, ac solida detestatio, & odium peccati, adeoque non requiritur necessariò ad confessionem, quod ad tollendos plurium scrupulos scire juvabit.

CAPUT XI.

De Statu ariditatis, & desolationis.

94. STatus ariditatis, & desolationis est ille, in quo anima sterilitate discursuum piorum, & inopiâ affectuum bono-

norum, nec non fastidio interdum, ac lassitudine adeò afficitur, ut propositam meditationis materiam exordiri, aut prosequi nequeat, quacunque ex parte illam respiciat. Quæ si in superiore duntaxat hominis parte se contineat, ariditatis nomine exprimuntur; si autem ad sensitivam hominis partem descendant, nomen desolationis sortiuntur. Nos in sequentibus communiter ariditatis nomine utemur, ità tamen, ut, quæ de illa dicturi sumus, de desolatione quoque intelligenda simul velimus.

95. Tirones in hoc statu constituti multùm conturbantur, speciatim in principio suæ conversionis, ubi nonnunquam supra modum, & inconsolabiliter affliguntur, cunctáque inclinata, & desperata existimant, atque à DEO se credunt odio haberi, ab ejúsque conspectu arceri. Huic afflictioni major accedit amaritudo, dum ad præteritas se reflectunt delicias, & consolationes, quando scilicet montes eis stillabant dulcedinem, & colles lac, & mel profundebant. Tunc præ sensibili amaritudine cordis gemunt, lachrymísque nonnunquam infelicem hujusmodi statum deplorant. Exponemus itaque causas, & remedia ariditatis; itèm quo pacto in iis Tirones se habere debeant, & an cum ea medi-

di-

ditatio bona, & fructuosa consistere queat.

96. Atque ut ab ultimo initium sumam, dico cum statu ariditatis posse consistere bonam, & fructuosam orationem. Ratio est: quia ultimatus meditationis finis, ad quem omnes tres fructus numerô tertiô præmissi referuntur, est sanctitatis consecutio, ac perfecta voluntatis nostræ cum divina conformatio; si ergo ariditatem patienter, & cum resignatione ad voluntatem DEI acceptemus, fructum orationis bonæ consequimur. Plus est, & multis solatiosum, quod addo: accidit non rarò, ut in statu ariditatis faciliùs quis assequatur finem, ac fructum, quem oratio intendit, quàm in statu sensibilis devotionis. Ratio est: quia potentia DEI non reducitur ad unicam tantùm viam, aut unum præcisè modum perducendi nostras animas ad intimum amoris cum bonitate sua Divina unionem; hinc ubi se nobis in uno statu subtrahit, in altero abundanter communicat, atque ubi nos videtur deserere, nos maximè sustinet, & in nobis modo quidem imperceptibili quoad sensum, reali tamen, ac vero, operatur illas gratias, quas in statu devotionis sensibilis obtinuissemus; imò quandoque longè ampliores, ùt ex sequenti numero patebit.

97. Nihil proinde ſervitia DEO exhibita in ſtatu ariditatis de ſuo valore amittunt, imò propter victoriæ vim fiunt gratiora, & ampliori mercede digna; tum quia ſunt magìs ardua, quàm devotionis ſenſibilis obſequia; tum quia ſynceriora, & igne adverſitatum probata, & ſolidum affectum erga Deum teſtificantia. Ex his patet vulgaris Tironum error, quo ſibi plures perſvadent, nihil bene fieri, nisì ab animo ſenſibiliter alacri, & cum experimentali mentis guſtu peragatur. Cùm tamen plures Sanctitatis famâ illuſtres extiterint, qui continuis multorum annorum ariditatibus ſubjecti, nihil interim de operum ſuorum valore, merito, & perfectione amiſerint. Sic S Franciſcus Seraphicus bienniô, S. Thereſia annis octodecim, P. Balthazar Alvarez annis ſedecim moleſtiſſimas ſunt paſſi ariditates.

98. Cauſæ ariditatis cum ſuis remediis ſunt hæ. 1. Eſt nimia ſenſuum libertas, & indulgentia, jure enim merito recedit à nobis Spiritus Sanctus, quando cor noſtrum in res creatas, & externas inordinatè effundimus. Cui pro remedio opponenda eſt fidelis cuſtodia cordis, per aſſiduam ſenſuum tam externorum, quàm internorum continentiam. 2. Eſt nimia ſolicitudo, & cura circa res exteriores,

quæ

quæ nobis agendæ incumbunt, tametsi ex officio, & obedientia sint præscriptæ: cor enim nostrum faciliùs recipit impressionem illius, quod amat, ac de quo anxiè sollicitum est; talis autem impressio multùm obstat receptioni motionis Divinæ. Pro remedio serviet, si naturalem agendi stimulum, & ardorem temperemus, neque ulli officio, functioni, aut operi immoderatè adhæreamus, orationémque summi momenti rem esse ducamus, cui sub præscriptam ad meditandum horam, nullum aliud magìs dignum, necessariúmque negotium præponi possit. Sic P. Franciscus Suarez maluit totam suam scientiam amittere, quàm unam meditationis horam negligere. 3. Est revolutio humorum corporis, sive ex naturalibus indispositionibus orta, sive ex aëris, vel temporis mutatione, aut aliis occasionibus excitata. Hoc in casu aliud remedium non est, quàm ut cum humilitate, patientiâ, & resignatione hanc molestiam feramus.

99. Quisquis ariditatem experitur, neque tamen aliquam ex prædictis causis deprehendit, sibi persvadeat, Deum esse, qui illam immittit, ob finem aliquem particularem, sive ut ipsius probet fidelitatem in orando, sive ut ipsum doceat sibi

ser-

ſervire nuda fide, & puro corde, non, quæ ſua ſunt, quærente, ſive ut hac via illi commonſtret devotionem ſenſibilem, orationíſque guſtum, ac dulcedinem non ab ipſius pendere induſtria, aut poteſtate. His autem in caſibus non ampliùs vocatur propriè ariditas, ſed derelictio DEI, ſicut dereliquit Salvatorem noſtrum in cruce. Derelictio talis eſt duplex, alia negativa, alia poſitiva. Prior nihil eſt aliud, quàm impotentia quædam agendi, quæ facit, ut propoſitam materiam quis ordiri nequeat, quomodocunque illam aggrediatur, ità ut præter vires paſſivas, nullis ferè aliis uti poſſit, acſi anima in corpore extincta foret. Poſitiva eſt, quæ animum hominis in magnam conjicit triſtitiam, ac penè deſperationem, hinc initium ſumunt ordinariè rigores illi, & exteriores expoliationes, atque omnis activitatis ſuppreſſiones, & aliæ excellentes viæ, quibus DEus animas fideliores exercet, atque ipſarum eſſe deſtructô, ſuum in ipſis conſtituit, ac ſtabilit. Verùm hæc non ſunt pro Tironibus.

100. Supereſt modum procedendi Tironibus oſtendere in ſtatu ariditatis, ſive hæc oriatur à DEo, ſive ex culpa ipſorum. Si igitur tempore meditationis ariditas duret, nec ulla cogitatio pia, aut affectus bo-

bonus Novitio occurrat, hoc pacto se gerat. 1. Firmiter credat hunc molestiæ ac tolerantiæ statum esse à DEO, non minùs quàm statum svavitatis, sive illum defectibus suis ipse provocaverit; sive DEus ex providentia sua eundem ordinârit, juxta illud Psal. 78. Tuus est dies, & tua est nox. 2. Humiliet se coram Deo, & agnoscat, quòd indignus sit, qui cum gustu, & dulcedine oret; quódque ob peccata sua dignus sit, qui hac ariditate & molestiâ puniatur. 3. Agat DEO gratias, quòd hac ratione humiliet, & puniat peccata sua, ùt minùs habeat, quòd in altera vita pœnis afficiat. 4. Roget DEum, si ad majorem ejus sit gloriam, ut illam ariditatem à se auferat. 5. Si carere ejusmodi desolatione non est ad gloriam Dei, offerat se ad supportandam illam totâ vitâ, dummodo efficacem DEus gratiam tribuat, ut illam sinè peccato ullo, sed potiùs cum gustu, & satisfactione DEI perferre queat.

101. Cavendum solerter, nè quis in hoc statu positus, aquam de petra, oleúmque de saxo durissimo elicere violenter attentet. Hoc est, ut nolit per vim haurire bonas cogitationes, aut ex fundo hoc sterili educere pios affectus; id enim qui conniteretur, frustrà sibi caput ob

tun-

tunderet, quia DEus hujusmodi cogitationes, & affectus hoc in statu concedere renuit, quin potiùs vult, ut pro tunc anima maneat illis omnino orbata. Cum humilitate igitur, patientia, & resignatione status iste cum suis oneribus, & molestiis ferendus est, non minùs enim Christus illum tum in monte Oliveti, tum in Cruce per derelictionem suam consecravit; quàm statum consolationis in monte Thabor sua transfiguratione sanctificaverit. Æqualiter itaque utrumque hunc statum genuini æmulatores & Socii JESU amplecti debent, persvasum sibi habentes, res suas utrobique prospere successuras, si fideles DEO fuerint, ejúsque sanctissimo beneplacito se in omnibus conformaverint.

CAPUT XII.

De internis animi impulsibus, & inspirationibus tam intra, quàm extra orationem occurrentibus.

102. NOn omnem motum internum, & inspirationem à DEO esse, sed aliunde etiam à spiritu suspecto & sinistro oriri posse, extra dubium est; unde monet Apost. 1. Joann. 2. Nolite omni Spiritui

citui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex DEO ſint. Nè proinde erroris, vel impoſturæ ſpiritualis periculo exponantur Novitii, cautè, prudenter, & circumſpectè, ab iis interim motus, & inſpirationes bonæ, ac ſinceræ, à ſuſpectis diſcernendæ erunt, juxta Regulas S. P. N. de diſcretione ſpirituum datas. Ad quod præſtandum, ſcire debent Tirones, non ſolùm principia internorum impulſuum tam ſanctorum, quàm ſuſpectorum, ſed etiam indicia, ex quibus ſuggeſtiones bonæ à malis dignoſci poſſint.

103. Et primò quidem de ſuſpectis agendo inſpirationibus, ſciendum eſt, tria eſſe principia earum, quæ ad noxia & illicita, ſive directè, ſive indirectè ſub ſpecie boni inducunt. *Primum* principium eſt Sathan, hac in materia vaferrimus impoſtor, transfigurans ſe in Angelum lucis, ùt ſcribit Apoſtolus; unde profectas ab eo motiones, & dictamina vocat ſcriptura ſacra: immiſſiones per Angelos malos. *Secundum* principium, ùt S. Thomas notat, eſt noſtra corrupta, & depravata voluntas, amórque proprius, ſemper in ſuimet commodum intentus, qui ſeducit plurimos, & corrumpit, ut putet ſe agi Zelô alicujus virtutis, quando in veritate aliud non ſubeſt, quàm paſſio. *Tertium* princi-

ci-

cipium eſt ratio, & judicium noſtrum, tot erroribus noxiis, & concupiſcentiis offuſcatum, præſertim in ſpiritualibus, & moralibus.

104. Ex his principiis ortæ ſuggeſtiones deprehendi ſolent ordinariè, ex indiciis ſequentibus. *Primò* ſi tempore non ſuo, & impertinenti occurrant, cum quo ejuſmodi inſpirationes ſe non bene compatiuntur, nec ullam habent connexionem. *Secundò*. Si veniant cum inquietudine, tumultu, confuſione, & perturbatione animi. *Tertiò*. Si alicui legi, aut regulæ, ſi alicui diſpoſitioni obedientiæ, vel diſciplinæ domeſticæ repugnant. *Quartò*. Dignoſcuntur ex fine, ad quem tendunt, ſi nimirum vergant in proprium nonniſi commodum, & temporale lucrum. *Quintò*. Si actiones talium motionum ſint cum aliqua offenſione communitatis conjunctæ; vel ſapiant exoticam ſingularitatem, aut communibus ſtudiis, ac moribus alicujus domûs religioſæ, & diſciplinatæ non ſint conſentaneæ. Tunc enim verò illi impulſus & ſtimuli interni, etiam ſub ſpecie boni, ad opus aliquod inducentes, rationabiliter ſuſpecti nobis eſſe debent de inordinatione, & pravitate aliqua; atque ità non ſtatim admittendæ, ſed priùs trutinandæ, & cum ſuo in Spiritu Magiſtro conferendæ.

185.

105. Tria quoque ſunt principia ſanctarum ex oppoſito inſpirationum internarum. *Primum* eſt : Author omnium bonorum DEus optimus, & unctio Spiritûs Sancti; qui internè ſæpius illuminat, docet, excitat, monet, invitat, animat, impellit, & inflammat ad ea, quæ ſunt noſtræ ſalutis, ac profectûs ſpiritualis, idque etiam per ſeipſum. *Alterum* earum principium ſunt Angeli boni in miniſterium ſalutis miſſi, ùt ſcriptura loquitur, hi etiam pulſant ſæpe animum noſtrum ſalutaribus monitis; cavent, & terrent à malis; impellunt ad quævis bona. *Tertium* principium eſt naturalis conſtitutio, & ſana corporis complexio, valdéque ingenua, propitia, ac timorata indoles. Sunt, qui cum Salomone ſortiti animam bonam, ad honeſta quæque, ac virtuoſa inclinant; præſertim tenerior quædam, & facilè tractabilis conſcientia mentem ſalutari timore Dei configens, & mali horrorem ingerens.

106. Sanctarum inſpirationum internarum ex his principiis ortarum hæc ſolent eſſe indicia. 1. Opera hujuſmodi bonarum motionum inducunt in animum hominis abſque ulla admixtione mali ſenſum odii de peccato, ſenſum amoris erga virtutes, deſiderium ſalutis propriæ, & alienæ. 2.

In-

Inſpirationes bonæ ſemper fundantur in rectitudine intentionis Sanctæ, & fine ſecundùm ſe bono, ac directo ad Dei gloriam, ad mortificandas paſſiones, ad charitatis religioſæ officia, ad contemptum ſui, ad regularem Inſtituti, & legum obſervantiam. 3. Inſpirationes boni Angeli proportionatæ ſunt ad complexionem, & indolem ſeu ingenium hominis; ad naturæ vires, officium, Vocationem, ætatem, capacitatem; ut ſcilicet ſint conducentes, & convenientes ſingulis circumſtantiis bonarum actionum. 4. Diſcernenda ſunt bona dictamina, & impulſus boni à malis ex eo, quòd illa ſemper immittantur homini cum diſcretione, & ità evitentur extrema, omníſque confuſio interior amoveatur, atque univerſa ordinatè, ac ſuis in circumſtantiis fiant. 5. Denique ſi ſuggeſtiones ejuſmodi ſint conformes oraculis divinis, Sanctorum Patrum doctrinæ, fini, & miniſteriis religioſæ vocationis, pro ſuſpectis habendæ non erunt.

107. Quantum proſit, imò ſæpius neceſſe ſit divinis hujuſmodi inſpirationibus obtemperare, & ſecundùm illas fideliter agere, luculenter patet, ex fine vocationis noſtræ religioſæ, qui eſt, ut tendamus, & enitamur aſſiduo conatu ad perfectionem Spiritûs, & virtutis, ex quo ſic diſcurro: omnis

omnis amans, & cupidus salutis suæ, quales sunt singuli æmulatores JEsu in sancta ejus Societate, debet uti mediis non modò necessariis ad salutem, sed etiam juvantibus, & promoventibus ad profectum spiritûs & virtutis; sed inter ejusmodi media juvantia, & promoventia, sunt etiam sanctæ inspirationes internæ, ergo salutis amans, & verè cupidus virtutis, ac perfectionis spiritualis debet uti dictis impulsionibus Divinis. Ad quod ulteriùs nos movere debet uberrimus talium inspirationum fructus, nam ùt tradit magnus Gregorius lib. 2. Moral. Cap. 2. si illis bene utamur, & cooperemur, aspera, & difficilia mitigant, animos frigidos, & tepidos accendunt, infirmos roborant, dubios firmant, distractos colligunt, induratos in malo ad pœnitentiam emolliunt, quod sæpe nullis consiliis, monitis, & flagellis humanis evinci potest: unde & plurimis tales inspirationes Divinæ, quibus obsecuti sunt, certa & unica via fuerunt ad vitam æternam, aliàs æternùm perituris, si ejusmodi motionibus sanctis non paruissent.

108. Quemadmodum porrò in exequendis inspirationibus divinis magnum interest bonum; ità è converso illis neglectis ingens subest malum, & grande emergit exinde damnum; nam si DEO excitanti, &

& stimulanti ad opera pia, atquè sancto non obsequamur, valde metuendum est, nè in vacuum missis talibus DEI gratiis singularibus, justam ejus iram in nos provocemus, ut in gravibus defectibus, & peccatis nostris obduremur, & aliis etiam auxiliis divinis extraordinariis destituamur, quarum factâ jacturâ graviter periclitemur de amittenda gratia finali; hæc enim ex mente plurium Sanctorum Patrum, & Doctorum habet sæpius ità Deo ordinante mirabilem, inscrutabilémque connexionem cum ejusmodi impulsibus divinis ad specialia quædam virtutum opera suggestis, quibus neglectis, DEUS etiam homini subtrahat illam gratiam, sinè qua finaliter non perseveret. Cujus ratio ex Sanctis Patribus hæc adfertur, quùd scilicet neglectus talium motionum internarum à Deo immissarum sit magna dehonoratio, ac contemptus Divinæ Bonitatis, ac misericordiæ, quo contemptu Dei, ejúsque gratiarum neglectu interrumpitur filum, ac series prædestinationis, atque succedit obstinatio in malo, ac impœnitentia demum finalis. Ex quibus omnibus patet, quàm promptè, ac fideliter ambæ aures Deo nobis internè loquenti accommodandæ sint, una quidem auris intelligentiæ, quâ in sibilo

auræ



& ſtimulanti ad opera pi
non obſequamur, valde n
nè in vacuum miſſis talib
ſingularibus, juſtam ejus i
vocemus, ut in gravibus
peccatis noſtris obduremu
auxiliis divinis extraordi
mur, quarum factâ jactu
riclitemur de amittenda
hæc enim ex mente pluri
Patrum, & Doctorum ha
Deo ordinante mirabilem,
que connexionem cum eju
ſibus divinis ad ſpecialia q
tum opera ſuggeſtis, quil
DEUS etiam homini ſubtra
tiam, ſinè qua finaliter n
Cujus ratio ex Sanctis Patril
tur, quùd ſcilicet neglectu
tionum internarum à Deo i
magna dehonoratio, ac co
vinæ Bonitatis, ac miseric
contemptu Dei, ejúſque g
glectu interrumpitur filum,
deſtinationis, atque ſucced
in malo, ac impœnitentia de
Ex quibus omnibus patet,
prè, ac fideliter ambæ aures Deo nobis
internè loquenti accommodandæ ſint, una
quidem auris intelligentiæ, quâ in ſibilo
auræ

